SCRIPTORES RERUM POLONICARUM,

ex recentioribus præcipui quotquot extant

LATINI

In unum corpus nunc primùm congesti & In III. Tomos distributi,

Collectore,

C. T. L.

Sorniz: Misn:

Tomus Primus,

Auctorum nomina & materiarum proxima indicabit pagina.

AMSTELODAMI,
Sumptibus GYSBERTI van VALCK,
M. DC. IIC.

IOANNIS DEMETRII SVLIKOVII
Archiepiſcopi Leopolienſis

COMMENTARIVS BREVIS RERVM POLONICARVM

A morte Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis, Anno M D LXXII Menſe Iulio Kniſini mortui.

MOrtuo Sigiſmundo Auguſto, Poloniæ Rege, ex ſtirpe Iagiellonica è paterna linea ultimo, res ad Interregnum devenit. Obſtupuit novo aſpectu rerum Reſpublica. Et nemo erat quin regem novum magno Reipublicæ diſcrimine partum iri, putaret. Reſtabat in Regno ſuperſtes Sigiſmundi Primi Filia, Soror Sigiſmundi Auguſti, Virgo *Anna*; provectioris licet ætatis, nuptiis tamen ſperatis, adhuc non in-

Poſt exceſſum Auguſti Interregnum.

Res dubiæ in Polonia.

inepta,nec importuna, ſervando utcunque in concordia Regno. Primas Regni *Iacobus Vchanius* Archiepiſcopus Gneznenſis, homo grandævus, de more præerat rebus, ſed ob varietatem Religionis, hoc Rege in Regno, è vicinis Germaniæ locis, contractam, ſolutiore factâ legum & ordinis politici diſciplinâ, qui tùm inter Sectarios magis eminebat *Ioannes Firleius à Dabrovica* Palatinus Cracovienſis, & Regni Marſchalcus, ab eo primitialis dignitas, quæ penes Archiepiſcopum erat, ita oppugnabatur, ut ea ferè interverti, atquè alio transferri potuerit, niſi *Staniſlai Karnkovii* Epiſcopi Vladiſlaviæ vigilantiâ, conſiliis & dexteritate ſarta tecta Archiepiſcopo conſervata fuiſſet. Deſiderabantur pleraque in Rege mortuo. Igitur ab omnibus uno ferè ſpiritu emendatior Reipublicæ Status præoptabatur. Idem ſtudium & Aulam Regiam invaſerat. In qua *Ioannes Leſniovius, Ioannes Thomas Drohoievius*, & *Ioannes Demetrius Solikovius* Aulici & Secretarii Regis, abſentibus iis ad quos res eæ ſpectabant, or-

Regni Primate effeto.

Et ob Religionum diverſitatem.

Invigilante nihilominus Karnkovio.

Et Aulicis quibuſdam.

ordine dato, in rebus omnibus univerſis Aulæ Miniſtris; antequam Senatores ad funus Regis conveniſſent, ita integra omnia Reipublicæ conſervarunt, ut omnibus probis, ac populo univerſo rem gratam fecerint, & factioſis quibuſdam Reipublicæ Civibus ſecus de ſe ſentiendi occaſionem dederint. Res tamen omnis ita Aulicis ſucceſſit, ut & honeſtè Regis defuncti exiſtimationi conſultum, & pecunia diſſolvendis Aulæ ſtipendiis reperta: & Tykocinenſis Arx cum Regni Gazophylacio, à direptione conſervata fuerit. Regno igitur, ut diximus, diſſidio Religionum debilitato, hominum animi in diverſa ſtudia trahebantur, & fruſtra convocante Primate, quæque terræ ſuos Conventus Cracoviam, Cniſinum, Glinianos, & in alia loca agebant; ſed nihil agebant: Deus enim & Regni adhuc Statum conſervabat, & Populus rerum ipſam novitatem omnem ſuſpectam habebat. Et Karnkovius ipſe Epiſcopus (uti dictum eſt) ita rebus Reipublicæ invigilabat, ut & novatorum Con-

Quævis terra ſuos inſtituit Conventus.

 ven-

ventus debilitaret, & unum legitimum Conventum authoritate Primatis indicendum, indefeſſo ſtudio, procuraret. Quo nomine multa certamina præſertim cum Sectariis ambitioſis habuit. Succeſſum res habuit. Nam poſt varias diſceptationes, & tùm literarum, tùm Nunciorum miſſitationes, tandem Majoris & Minoris Poloniæ Conſiliariis, ad Villam *Kaskos*, cis Varſaviam ſitam, collectis, felix rebus auſpicium datum eſt. Firleius Marſchalcus Primatis ac Senatus juſſu omnia adminiſtranda ſuſcepit, ſic & ſuſpiciones mutuæ ſublatæ, & ſua Primati authoritas confirmata. Convocatio quoque, quæ more recepto Electionem Regis antecedere ſolet, Varſaviam dicta, ſed dum initio, non is ante Caſcenſem congreſſum eſſet in rebus ordo, qui meritò eſſe debuerat, in Regni providendis finibus, aperta ab omni parte Polonia, Externorum Principum literæ, & Nuncii, per omnes Regni partes diſcurſabant, & tanquam in ignotæ Regionis umbra errantes, quos poterant, quibuſvè arti-

In unum tandem locum omnes conveniunt. Kaskos.

artibus norant, præhenſabant. In iis præcipui fuerunt Auſtriæ principes, & Galli, ut innumerum aliorum Candidatorum ſegetem omittam, quorum quidam timida audacia freti, tantum Regni onus non detrectaſſent, ſi fortunam propitiam habuiſſent. Germani certè per Polonias, Lithvaniam, & Pruſſiam diſcurrentes, & munera in vulgus ſpargentes, magnâ ſe induebant invidiâ. Galli verò, paulò prudentius, nec fines Regni attingere ſe velle, ſine Senatus Regni authoritate præ ſe tulerunt, & finitimo Capitaneo locum ſibi deſignante, Kaszkos tales literas ſubmiſerunt, ut facilem ſibi viam ad reliqua, quæ animo conceperant apud Polonos, gentem laudis cupidam, ſternerent. Ita Varſaviæ Convocatio dicta. Karnkovius Epiſcopus cum Siracovio Palatino Lancicienſi Lomſam ad Reginam miſſi ab ipſa præhenſanda, Nuncios Externos removerunt, & ipſe Karnkovius eam Piaſecinum adduxit, ſe per omnia Senatus authoritati, & fidei permittentem. Quæ Convocatio poſtquam advenit, in

Externorum Principum ambitus.

Contra quos Regina Anna munitur.

in ea Reginæ Aulæ Militum negotia ad Electionem dilata, ipſaquè Electio in Aprilem Menſem proximè ſequentem ad amuſſim antiquam & pace publica procurata, rebuſque quoad ejus fieri potuit, Ordine dato, indicta fuit. Comitia Electionis Regis gratia, invocato Spiritus Sancti Numine in *Campo Caminenſi* ad Varſaviam ultra flumen Iſtulam celebrata ſunt: Omnes Palatinatus ſtationes proprias habebant: Proponente Primate, dirigente Karnkovio, res gerebantur. Dux in Pruſſia *Albertus Fridericus* locum in Senatu ad ferendam ſententiam depoſcebat. Lithvani per unionem ſibi adempta repetebant. Pruſſi exequutionis Alexandrini Statuti moderationem expetebant. Ruſſi defenſionem ſui à Turcis & Tartaris exigebant. Milites & Aulici ſtipendia retenta ſibi ſolvi poſtulabant. Et quiſque ferè non ſolùm ex Communitatibus, ſed etiam ex privatis, quod ad ſe ſpectare judicabat, obtinere nitebatur, & majore quidem quiſque animo, quando Rege abſente, ad ſe quiſque Rem-

Comitia Electionis in campo Caminenſi.

Dux Pruſſiæ locum in Senatu depoſcit.

Alii alia.

Rempublicam, æquali Iure pertinere judicabat. Prudentiâ Senatus omnia & ſingula ſic ponderabantur, & moderabantur, ut in eligendi Regis negotio ſecura navigatio eſſet. Ad Electionis ipſius actum graviſſimum cum eſſet perventum, ordo per omnia æquitati congruens ſervatus eſt: Pax & ſecuritas publica procurata: Palatinatus omnes ſuorum territoriorum Nobiles continebant. Qui ubi ſententias ſuas de Rege creando dixerunt, eas ſcripto comprehenſas ad commune Regni conſilium deſtinabant. Duo fuerunt ii tales communes & univerſales Conſeſſus, unus Senatorum ſub tentorio ampliſſimo, & ſpectatiſſimo: alter ſub dio Deputatorum ex Palatinatibus Regni Nobilium. In hoc articuli Regi futuro, ordine electo, conſcribebantur; In illo ponderabantur. In hoc Confœderatio diſſidentium de Religione proponebatur; in illo, partim reprobabatur, partim diſſimulabatur. Ab omnibus tamen eadem ſalus, & pax Patriæ, ſed non eodem modo, procurabatur. Data hac rebus forma in

Ordo circa Electionem quinam ſervatus.

in communi omnium Ordinum tàm Senatus Confeſſa, quàm Equeſtris Ordinis aſſiſtentia, auditæ Legationes Externorum Principum, Papæ, Cæſaris, Galliæ, Suecorum, Germanorum. Hiſpanus Gallo nolens poſtponi, ſalutatâ ſolummodò Regina, in diverſorio remanſit. Summi Pontificis Orator fuit, *Ioannes Franciſcus Cardinalis Commendorius*, Cæſaris *Roſembergius*, & *Perenſtainus*; Galliarum Regis, *Ioannes Monlucius Epiſcopus* & Comes Valentiæ, cum *Noiallo*, & *Lanſaco*. Mirati ſunt, & laudarunt omnes ii Copias Equeſtres Polonorum, quas in campis videbant. Auditis legationibus modo præſcripto, per Satrapias ſeu Palatinatus dictæ ſunt Sententiæ. Oratores à loco Electionis excedere juſſi, quin & dum non pauci ex domeſticis nominarentur, Piaſtorum populari nomine, eos unus ex Equeſtri Ordine *Ioannes Zamoſcius* Capitaneus Belzenſis ſi nomenclaturam Nominis Regii acceptarent, etiam ab Electione abeſſe juſſit. Quibus in anguſtum redactis Regni ambitui eos valedicere

Candidati ab Electione juſſi abeſſe.

dicere in conſpectu omnium fecit, qui latius ea ſcribunt, & nomina eorum exprimere poterunt. Excluſis jam Piaſtis de externis dictæ ſunt, & collatæ ſententiæ: & ne in tanti momenti re fraus cuiquam eſſet, & Reipublicæ conſtaret res clarior, cuiquè Candidatorum Regni ſui advocati dati ſunt. Erneſto, Maximiliani Imperatoris Filio, *Petrus Miskovius* Epiſcopus Plocenſis. Henrico Duci Andegavenſi, Regis Galliarum Fratri, *Staniſlaus Karnkovius* Epiſcopus Vladiſlaviæ. Ioanni Tertio Regi Sueciæ, *Nicolaus Mielecius* Palatinus Podoliæ, quiſque cum collegis pluribus. Qui cum pro ſuis Candidatis uberrimè diſſeruiſſent, & tam commoda, quàm incommoda, in medium producta, accuratè excuſſiſſent, omnium hominum non obſcurus favor in *Henricum Gallum* Karnkovii Candidatum enituit. Cumque ſemel ac iterum ſententiæ ſingulorum Palatinatuum exciperentur: omnes ferè Henrico, pauciſſimos aliis nomina ſua dare conſtabat. Quo animadverſo, Ioannes Firleius Cracovienſis, &

Cuivis Candidatorum datus Advocatus.

Vota omnium pro Henrico Andegavenſi.

Nicolaus Mielecius Podoliæ Palatini, unà cum aliis paucis, quos penes erat Confœderatio de Religione, *Grochoviam, Secessione* facta, aliquoties ad commune consilium invitati, venire recusarunt. Eam Confœderationem nemo Episcoporum subscripsit, imò & Catholici seculares paucissimi, præter *Franciscum Krassinium* Episcopum Cracoviensem, qui eam, reclamantibus & contra protestantibus, tum Spiritualibus, tum secularibus omnibus, parum prudenti concordiæ studio, quod ei tamen postea semper doluisse fertur, subscripsit. Hoc dissidio invalescente, commune consilium Archiepiscopo institit, ut Regem Henricum renunciaret. Dies autem jam erat pridie Pentecostes. Sole jam ferè occumbente, intervenit Mielecius Podoliæ Palatinus, & ut ad diem proximum Lunæ eam renunciationem differret Archiepiscopus, magnis precibus ab eo contendit, & evicit, præsertim cum indecorum diceret, Regem tam Illustrem nocturno ferè jam tempore renunciari, & speraret, alterius sen-

Grochoviensis Secessio.

Confœderatio Dissidentium.

sententiæ homines, quos jam in personam consentire non ignoraret, renuntiationi adfuturos esse. Itaque die Lunæ disceptationibus denuò extracto, ad vesperam die vergente, nè simili modo negotium in crastinum differretur, instantibus omnibus Archiepiscopo, ut Regem renunciaret, illoquè assurgente, *Andreas Comes Gorcanus*, à Grochoviensi parte cum Diplomate Confœderationis in medium ingressus, verba facére cœpit. Et cum primum à populo auditus est dixisse, jam suos, à quibus missus esset, in Henricum pleno animo consensisse; ita clamore, & gratulationibus obrutus est, ut extrema verba ejus non audirentur. Et Archiepiscopus, maximis vocibus hominum excitatus, ab astantibus rogans, *num vellent, juberent Regem Henricum renunciari*, cunctisque succlamantibus, *renunciandum*, Henricum Regem renunciavit. Et profectò tùm ab omnibus prudentibus viris censitum est, Regem nequè meliorem, neque clariorem, neque rebus & gloriæ Polonorum accommodatiorem eligi po-

Renunciatio Regis Henrici.

potuiſſe. Renunciatione factâ, clangor tubarum inſonuit, machinę diſploſæ, & omnia per campos gratulationis & lætitiæ publicæ ſigna edita: atquè ad Templum majus Sancti Ioannis Laudes Deo cantatæ. Quatriduo poſt accito in Caſtra Monlucio, ac pro Rege renunciato in conditiones Regni jurante, ubi, inter cætera, & Confœderatio diſſidentium de Religione illi à Firleio Marshalco oblata fuit, Rex idem Henricus, ſolenni ritu ex Officio Marshalci Regni declaratus eſt. Re cognitâ, aliorum Principum Oratores, qui per oppida vicina exitum negotii expectabant, agmine ſilenti diſcedebant. Monlucius verò, tanquam re bene geſtâ, & cognitis Oratorum Regni, qui ad novum Regem deſtinabantur, nominibus, per Germaniam, arte, quâ poterat, in Galliam pervaſit. A Regno inde Oratores in Gallias miſſi; octo ex Senatu, *Adamus Konarski* Epiſcopus Poſnanienſis, *Albertus Laſcius* Palatinus Syradienſis; *Ioannes Baptiſta Comes Tencinius* Woynicenſis, *Ioannes Tomicius* Gneznenſis, *Ioannes Her-*

Monlucius Henrici Legatus in conditiones Regni jurat.

Oratores in Galliam quinam miſſi.

Herburtus Sanocenſis, *Andreas Comes Gorcanus* Miedzyrzecenſis, *Staniſlaus Kriſcius* Racianenſis, Caſtellani. *Nicolaus Chriſtophorus Dux Radivilus*, Lithvaniæ Marshalcus. Quinque ex Equeſtri Ordine; *Nicolaus Firleius* Palatinides Cracovienſis, Caſimirienſis. *Ioannes Zamoſcius* Belzenſis, Zavichovienſis, *Ioannes Zborovius* Odolanovienſis, Capitanei. *Nicolaus Tomicius* Caſtellani Filius Gneſnenſis, & *Alexander Dux Prunſcius* Palatinides Kijovienſis. Ii facultate petitâ, nondum tamen impetratâ, per Germaniam itineris faciendi, maturant proficiſci. Laſcius ſenſim iter inſtituerat. Kriſcius cum Lanſaco per Balticum navigans, quod in faucibus Sundicis impeditus eſſet, in Poloniam rediit. Tencynius etiam, cùm Collegas in Germania Lipſiæ impediri videret, domum reverſus eſt. Cæteri omnes, qui juſſu Auguſti Electoris Ducis Saxoniæ, Lipſiæ, ab incepto itinere arcebantur, cum ad Electorem Ioannem Herburtum miſiſſent, liberè iter ſuum proſequuti ſunt, & in Galliam pervenerunt. Nuntio

Henricus ſuæ Electionis ad Rupellam, quam obſidebat, accepto, pace ſupplicibus conceſſâ, Luteciam Pariſiorum venit; ubi à Gregorio XIII Summo Pontifice auream roſam benedictam, ſibi dono miſſam, cum Apoſtolica benedictione accepit. Poloni Oratores Vrbem Pariſiorum XIIII Kalendarum Auguſti ingreſſi; Nomine Regum Franciæ, Henrici, & Navariæ, Ducis Alenconii, ac Reginarum, à Ducibus aliquot ante Vrbem excepti, & inter innumeras gratulantium cohortes, cum Regio equitatu ſalutati, ac in Vrbem introducti ſunt, ſtupentibus Gallis, fœderatæ gentis, bene formata corpora, pileos pellitos, gemmatos enſes, equorum & curruum ordines, ferratas ocreas, pharetras, & arcus, rutilantes barbas, raſa occipitia, quin & linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ peritiam tantam, ut multi Gallorum, ab hoſpitibus Latinè compellati, erubeſcere cogerentur. Tertio die poſt Regem Galliarum ſalutant, & Reginam, Catherinam Matrem, & Iſabellam Auſtriam Vxorem

Pariſios ingrediuntur Oratores Poloni.

rem Regis: ſequenti, Regem Henricum. Et poſtquam dies aliquot revidendæ inſtructioni, & mandatis inſpiciendis dediſſent: Atque interea tum Ducem Alenconium tum Regem Navaræ compellaſſent, tandem ad rem ipſam, negotiumque expediendum accedunt, & juxta ſuorum mandata, & voluntatem expediunt. Proferuntur, & acceptantur conditiones de annuis fructibus poſſeſſionum Henrici in Gallia in Pòloniam inferendis: de Nominibus deceſſoris Regis, de Academia Cracovienſi, de Privilegiis, de Sacris, de Matrimonio, de Claſſe, de Seminario Iuventutis, de fœdere cum Gallis ineundo; quibuſdam aut interpretatione commoda enucleatis, aut in Poloniam illatis, præſertim de Matrimonio, & Confœderatione. Quod ubi cum Henrico tranſactum fuit ad V Idus Septembris; poſtridie ejus diei manè, ad præcipuum Beatæ Mariæ Virginis Pariſiorum Templum, ad Sacra convenere Reges, & Reginæ, Oratoreſque Poloniæ, Summi Pontificis, Hiſpaniæ, Scotiæ, Vene-

Conditiones propoſitæ à Rege acceptæ.

netorum, aliorumque Principum; Cardinales quatuor, Borbonius, Lotharingi duo, Estensis; Episcopi, Senatores, & Nobiles, ac Cives innumeri. Illic, Sacris peractis, primum Henricus Poloniæ ante summam aram in manu Episcopi Parisiensis Iusjurandum præstitit, juxta formam ab Oratoribus Poloniæ datam; Tandem & Carolus Galliæ Rex, ad ea omnia præstanda, quæ pro eo Monlucius cum Collegis in Polonia promiserat, sese pari juramento obstrinxit. Iam autem, & ab Imperatore, & ab Ordinibus Imperii, è Comitiis Germaniæ, sub idem tempus allatæ fuerunt literæ, quibus Henrico Regi Poloniæ, è Gallia in Poloniam iter per Germaniam facere, liberum fore, sed ut id faceret sine ullo maleficio, & injuria, declarabatur. Quibus per literas omnibus prolixè ab Henrico gratiæ sunt actæ. Tandem IV Idus Septembris, paratis omnibus in Summo Parlamenti Parisiensis Palatio, cui Sacra Capella conjuncta est (in quo sunt Statuæ omnium Franciæ Regum, à Pharamundo us-

Et jurejurando confirmantur.

Literæ passus per Germaniam Henrico concessæ.

usque ad Franciscum) quæ ad summum & splendidissimum publicandi Decreti Electionis Poloniæ Regis actum pertinebant. Adsunt Reges, Principes, Reginæ, Cardinales Sacri, & prophani, Ordines, & Officiales, & innumera Spectatorum multitudo, per tabulata cum silentio rebus auscultantes, Cum Oratores Poloni, clangore tubarum præmisso, & Musicis sonis durantibus, ab Henrico Guisio, in theatrum deducti sunt, & Decretum Electionis, argentea thecâ inclusum, ante Reges depositum, & post præfationem Episcopi Posnaniensis tempori convenientem ad Reges Franciæ, & Poloniæ prolatum, & Henrico Fratri Regis Franciæ, Duci Andegavensi honorificè oblatum est: Tandem lectum audientibus omnibus, & post mutuas orationes, Hymnus Deo cantatus, Regibus & omni populo genua flexis. Inde ad osculandum Poloniæ Regem, Franciæ Rex assurrexit, Principes eundem honorarunt, Poloni tanquam suum Regem, manu ejus exosculatâ, venerati sunt. Quibus

Publicatio Decreti Electionis Parisiis facta.

magnis cum tripudiis peractis, & aliquot diebus insignibus conviviis celebratis, & legatis à Rege Carolo torquibus aureis, & vasis aureis, & argenteis, liberalissimè donatis, placuit Regi & legatis in Poloniam præmittere. Quæ Provincia data est Ioanni Zborovio, is in Poloniam, & confirmationem pactorum attulit, & de prosperè confectis rebus Senatum edocuit, & tempus adventus in Poloniam Regis Electi designatum, & ad Coronationem Regis de more interfuturi convocantur: Tandem IV Kalendarum Octobris Rex Electus, rebus omnibus ad iter comparatis, Lutetiâ discessit. Quem Galliæ Rex ad fines usque Germaniæ concomitari volebat, sed adversâ valetudine correptus consilium mutare fuit coactus. Regem electum, præter Polonos, & Nuntium Sedis Apostolicæ Episcopum Montis Regalis, in Poloniam sequuti fuerant Ludovicus Gonzaga Dux Novioduni Heduorum: Carolus Dux Meduariæ Marchio Helbonensis, Albertus Comes Radosiarum Marshalcus Fran-

Post Zborovius in Poloniam præmittitur cum fausto nuncio.

Henricus Parisiis discedit.

Comites itineris quinam?

Franciæ; Villoctarus Præfectus Aulæ, Silius Comes Rupifortii; Elius Comes; Ioannes Sanlius Vice Comes, Ludovicus Picus Mirandula, Cessacius Cadarcus: Besigninus Biturix: Gordes Allobrox: Antragii. Fratres Carautes; Cœlius Cadurcus, Belvilius Santo, Belloguardus Episcopus Arvernorum: Ægidius Abbas Insulæ: Bellivarius Legatus Francorum Regis, Faurus Tolossas Iurisconsultus: Dominus de Pibiaco, & cæteri multi. Profectus est Rex per Lotharingiam, Blancotum, Tabernas Alsaticas, Nemetes, Vangiones; ubique tantus honor est ei habitus, quanto & Rex Poloniæ, & Regis Franciæ Frater dignus erat. Immisit & ipse Heidelbergæ Fridericum Palatinum Rheni, præter ejus opinionem, à quo & ipse liberaliter acceptus, omnem vicissim Regiam liberalitatem, domui ipsius declaravit. Inde Francfordiam ad Mœnum transgressus Fuldæ Natalis Domini festa celebravit. Tandem à Philippo Lantgravio, cum tribus millibus equitum, exceptus. Inde per Sa-

Per varias transiens Regiones ubique humaniter exceptus.

Saxoniam nomine Augusti à Casimiro ejus Genero salutatus, & cum bis mille equitibus honorificè deductus. Inde ad Locros, nomine Cæsaris Maximiliani, cum mille & quingentis equitibus cum honore susceptus, fines demum sui Beneficiarii Marchionis Brandeburgensis attigit, omni obsequio, & humanitate sibi declarata. Celebris fuit eâ peregrinatione Henricus ex Galliis Sarmatiam petens: Celebres Poloni, qui tot gentibus, & nationibus Sole sub occiduo suam libertatem ostenderunt. Celebres & ipsi Germani, apud quos hospitalitatis, ac fidei publicæ Iura non sunt inania vocabula rerum. Medzirecium Rex octavo Calendarum Februarii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto pervenit, quod oppidum est ad ripas fluminis Viadri situm, ubi cum ingenti lætitia Polonorum susceptus est. Stanislaus Karnkovius Episcopus Vladislaviæ & Pomeraniæ, nomine omnium præclaram habuit orationem, quæ inscribitur Panegyricus, ad quam primum Rex Italicè bre-

In finibus Poloniæ à Karnkovio salutatus.

brevibus: Tandem Faurus nomine Regio facundissimè, & luculentissimè respondit. Miedzirecio Posnaniam est itum, ubi magnificentissimè à Proceribus & Nobilitate est susceptus, & Karnkovius in cœlum ferè laudibus hominum ob Electi Regis virtutes, & laudes ferebatur. Priusquam Rex Cracoviam advenit, Regis Sigismundi Augusti sepultura & exequiæ splendido apparatu, ut Regum Polonorum mos est, XII die mensis Februarii factæ, & celebratæ sunt. Quibus præter Ordines & Officiales Regni sepulturis Regum interesse solitis Externorum Principum Legati, Papæ, Cæsaris, Regum Franciæ, & Electi Poloniæ, Vngariæ, Sueciæ, Ferrariæ, Venetorum, Brandeburgensium, Prussiæ, Pomeraniæ, Brunsvicensium, & aliorum adfuerunt. Quibus peractis Rex Electus XVIII die mensis Februarii Cracoviam pervenit, qui fuit dies Iovis ante Dominicam Carnis priviorum. Cui obviam processi sunt, cum omni animorum alacritate, tàm Spirituales, quàm seculares Senato-

Augusti Regis sepultura.

 nato-

natores, Officiales, Nobilitas, Aula denique mortui Regis; nomine omnium verba ad Regem fecit brevi & succincta Oratione, *Petrus Myskovius* Episcopus Plocensis. Equitatum, splendorem, magnificentiam gentis Polonæ mirati sunt externi plerique omnes, salutantium infinitæ cohortes, ita Regem Electum die toto per Campos distinuerunt, ut in Vrbem atque ipsam Arcem vix hora noctis secunda, tota Vrbe ignibus illustratâ, ingressus sit. Primum ad Ædem præcipuam Sancti Stanislai descendit, illic Deo Hymnus cantilatus, & à clero Ecclesiæ exceptus Rex, salutatum Annam Infantem, rectà è Templo perrexit. Inter multa edita spectacula, Emblemata, figuras, unum Vexillum Aquilam pectore lilia aurea continentem habebat, cum his versibus.

Ingressus Regis Cracoviam.

Quem Myskovius salutat.

Augurii Mater, volucrum Regina vagarum
Corde enata tuo, quid spondent lilia? spondent
Sarmatiam Henrico florentem Rege futuram.

XIX Februarii totâ die quievit, aut saltem quiescere debuit Rex; Interea curata sunt, quæ

quæ futuræ Coronationi inserviebant, variis varia in vulgus spargentibus. XX die, qui dies fuit Sabbathi, Senatus in Arce habitus est, & Rex Electus ad Senatum se velle venire significavit; mittens ad Equestris Ordinis Nuncios, & rogans ut & ipsi adesse velint. Qua de re etsi nonnihil fuit inter Nuncios disceptationis: tamen posteaquam Regem Electum jam in Senatu esse, ac eorum adventum præstolari intellexissent, & ipsi nullâ interpositâ morâ advenerunt. Salutavit Regem Nunciorum nomine *Stanislaus Sandivogius Czarnkovius*, Referendarius mortui Regis: interpretabatur Regi Gallicè, Ioannes Zamoscius Secretarius, Capitaneus Belzensis. Rex ipse per se Gallicè respondebat, quæ statim Faurus eloquentissimus Pibracus Latinè ad omnes ita interpretatus est, ut prius infantiam suam in Regiis verbis & sententiis gravissimis, & omnem affectum & benevolentiam erga Polonos redolentibus, explicandis excusaret. Quam Orationem Regis omnes cum maxima consolatione &

Rex in Senatum venit.

Salutatur Nunciorum nomine a Czarnkovio.

Faurus Regis nomine respondet.

& lachrymis è gaudio proruentibus, auribus ſuis acceperunt. Ita dubio omni remoto ad Coronationem die craſtinâ futuram, & eodem die Sacris ſupplicationibus inchoandam acceſſum & condeſcenſum eſt. Eodem igitur die, horis veſpertinis, ſupplicationes ad Sancti Staniſlai Ædem in Rupella ſacra celebratæ, & Rex eodem ſe devotionis cauſa conferebat, & rurſus in Arcem reducebatur ſolenni ritu. Sequenti die Coronatio Henrici Regis cum omni ſolennitate cæremoniarum facta eſt, Coronatore Iacobo Vchanio Archiepiſcopo Gneznenſi Regni Primate, & Epiſcopis aſſiſtentibus; In hoc actu celeberrimo, Confœderationem Hæretici jurejurando Regio inſeri, magnis clamoribus urgebant; ſed Archiepiſcopo & Epiſcopis reſiſtentibus, diutius Rex genua flexus diſtinebatur, donec tandem, quodam moderante diſſidium, pacem ſervatam iri, ſalvis juribus partium, conquieſcentes, Sacro negotio perficiendo locum dederunt. Et tandem convivatum eſt cum Externorum

Coronatio Regis Henrici.

rum aliquorum Principum Legatis, & Senatoribus Regni. Coronatione perfectâ, & conviviis, ac obedientia, à Cracovienſi Vrbe Regi ſolenni ritu redditâ, cæteriſque de more ritè peractis, de formulâ confirmationis Iurium à Nunciis Terrarum, quæſtione motâ, hanc cum novo modo, ob Confœderationem Hæreticorum fieri à Rege volebant; Forte fortuna ſcriptum quoddam Typis impreſſum, cum inſcriptione *Rozſadek o Spranach na Electiey VVarſzavvskiey do Koronaciey nalezacych*, in manibus hominum verſari cœpit, quo quatuor hæc capita reprehendebantur, & rationibus certis confutabantur. Primò, de Sedecimviratu. Secundò, de diverſitate Iudiciorum. Tertiò, de abſolutione à Regis obedientia, ſi Rex alicui parti Pactorum non ſatisfecerit. Quarta, de Confœderatione. Quod ſcriptum fuit tam efficax, ut contrariæ partis pro Confœderatione laborantis impetum fregerit omnibus, tàm in Senatu, quam inter Nuntios, ejus veritatem, ac æquitatem pro ſe contra Confœdera-

Formula confirmationis Iurium in quæſtionem venit.

Scriptum aliquod non minimas dat turbas.

 dera-

derationem afferentibus. Cumquè veritas palmam jam obtineret Sybeneicherus typographus à Firleio Marſchalco Regni, ob libellum impreſſum in carcerem conjectus eſt, quem Solikovius, ſe authorem libri profeſſus, liberavit. Quare Solikovius ſumma contentione in Senatu, apud Regem à Nunciis accuſatur, qui cum ſe ad reſpondendum, & juſtificandum ſuum Scriptum paraſſet, quippe quod conſcio, & rogante Rege unà cum Epiſcopo Vladiſlaviæ conſcripſerat: Archiepiſcopus Gneznenſis, nè ſolus in cauſa juſta Solikovius derelinqueretur, productâ proteſtatione, ſe in eadem ſententia eſſe unà cum Epiſcopo Vladiſlaviæ, & univerſo Clero, & Catholicis omnibus, declaravit. Multis igitur utrinque, multorum contentionibus, pro & contra nitentibus, ſilentium accuſatoribus tandem Regis reſponſo impoſitum eſt: Et ſic cauſa juſta vincente, & Solikovius victor manſit, & Rex, uſitatâ Regum anteceſſorum ſuorum formâ, confirmationem Iurium Regni edi man-

Initia boni Regiminis.

mandavit, & Dignitates ac Officia Regni vacantia diſtribuit, & Iudiciis cauſarum forenſium præſedit, & peregrinas Legationes audivit, & ut ſubſellia Iudiciorum per totum Regnum aperirentur edixit. His initiis infelix caſus interceſſit, qui in hoc uſque tempus Regnum hoc perturbatum tenuit. *Samuel Zborovius* cum in haſtiludio, in conſpectu Regis & Procerum, provocatus à quodam, Ioannis Comitis Tenczynii familiari, Dominum ejus potiùs evocaret, & ſimul inter plures, rixa & tumultu exorto, Tenczynius cum Andrea Vapovio in arcem venirent, ſeu de induſtria, ſeu caſu, Zborovius in *Vapovium* in arcis porta irruens martello, acuminato caput ejus confixit, atquè ex arce deſcendit. Vulneratus Vapovius cum amicis madens ſanguine, ad Regem contendit; cum alii impellerent, alii reprimerent, & cancelli oſtiorum Regiorum ferè perfringerentur; Rex fores aperiri juſſit, ut qui vellent ingrederentur. Non defuit tunc ſibi malignitas quorundam, qui dixiſſe Regem affir-

Vapovius à Zborovio occiſus.

affirmarent: *Pateant fores, & fiat nunc quod fieri oportet*; ſed calumnia fuit hæc. Eò autem fuit progreſſa, ut Nuntii Terrarum Regem in Senatu ea de re admonerent, & Rex ſuſpicionem rei à ſe verbis ſuis amovere neceſſe haberet. Vocatus igitur in Ius Regium Zborovius, & Conſiliariis Regni & Lithvanis, aliis tanquam deliberatum factum aggravantibus: aliis verò ut caſu, & inconſulta ratione commiſſum eluentibus, & mitigantibus, Iudiciumquè cauſæ non paucis diebus magnâ partium contentione ventilaretur. Zborovius Vapovio de vita deſperato Iudicis Sententiam non expectavit, ſed diſceſſit. Et Rex contra eum pro occiſo Vapovio, violato Palatio Regis, & tempore Comitiorum contra fas, & leges Patriæ tumultibus infecto, ſententiam tulit, *ut à Regno Poloniæ perpetuò exularet.* Qui Regium Decretum promulgabat Faurus, hæc tria verba addidit: *Citra tamen infamiam.* Quo appendice major Senatus pars, & amici Vapovii vehementer offenſi paſſim de Rege conqueri cœperunt.

Condemnatur ea propter novo condemnationis modo.

runt. Nunciorum autem complures, præſertim Hæretici vociferationibus ſuis Regi multum invidiæ conflabant, tanquam minus juſtam, & in favorem Zboroviorum apertam ſententiam dixiſſet. Erat inter conditiones, quas Caroli & Henrici Oratores ſuſceperant, etiam hæc: *ut Henricus Reginam Annam, Sororem Sigiſmundi Auguſti, & Filiam Sigiſmundi Primi, Virginem, acciperet Vxorem.* Quod caput in Franciâ Rex in Poloniâ decidendum diſtulerat; Sed nequè de hoc conveniri potuit; vel quia Virgo provectioris ætatis eſſet; vel quia quidam Senatores Regem aliquam aliam Vxorem jam animo ante percepiſſe exiſtimarent; vel quia non diu hìc manſurus ex quibuſdam auguriis diceretur. Non nimis Regem urgebant, jam non ſatis tranquilla Regni ſui initia habentem. Interea *Ioannes Firleius* Palatinus Cracovienſis moritur. Palatinatus à Rege datus *Petro Zborovio*, Palatino Sendomiriæ: Sigillum minus, poſt Franciſci Kraſinii in Epiſcopatum Cracovienſem aſcenſum, quem languente jam

Vnde Regi invidia orta.

Rex conditioni ratione matrimonii non ſatisfacit.

Exinde ſiniſtra auguria.

Mors Firlei Palatini Cracovienſis.

 Si-

Sigismundo Augusto assecutus erat, cessit *Petro Dunino Volscio*: Secretariatus major *Hieronymo Rozdrazevio* Comiti. Cætera Officia,& Dignitates cæteris. Etiam largitiones innumeras Rex Henricus fecit, indignum Rege reputans aliquid petenti denegare. Accidit interea,quod avicula parva, quæ *Regulus* appellatur, allato secum filo,ante fenestras Regias cum se ad tectum Palatii alligasset, eodem filo collo suspensa apparuit, multis mirantibus, & rem mali ominis esse mussitantibus: Interea *Vapovius* moritur. De Caroli etiam Franciæ Regis, primum graviore valetudine, postea etiam morte, ad Regem literæ à Regina Matre afferuntur. Regno igitur Franciæ ad Poloniæ Regem Henricum devoluto, Polonos major anxietas, quàm voluptas occupare cœpit; nemo tamen id suspicari de eo volebat, quod is postea fecit. Nam cum pullatus in camera consilium secretum Senatorum haberet, & res suas ac Regni Galliæ fortunam Senatui commendaret, tacitus, quæ cujusquè sententia

Volscius ViceCancellarius Regni.

Regulus ominosus.

Mors Caroli IX Regis Franciæ.

Henricus Successor.

tia esset, observabat. Qui cùm dolorem amissi Fratris, novi, & quidem hæreditarii, magni & florentis Regni accessione mitigarent, & ut utriquè Regno feliciter præesset, prompta studia & animorum voluntates deferrent, Rex metuens, nè si consilium profectionis suæ illis panderet, ac illi ad Comitia Regni referendum putarent, de Franciæ Regno proprio, & hæreditario periclitaretur, aliquot tamen Gallis consciis iter adornare cœpit. Igitur qua nocte elabi decreverat, in diem sequentem præcipuis Senatoribus aliquot, qui post illa Coronationis Comitia Cracoviæ remanserunt, tardam ad se veniendi horam assignat: & cum omnes quaquaversum secessissent, & Rex se somno daturum præ se ferret, extinctis luminibus per posteriorem arcis januam ad stabulum pervenit: ubi equo parato conscenso cum octo Comitibus tota nocte effuso equi cursu, Oswiecimo primâ luce transito, ad Pozynam oppidum Silesiæ pervenit. Fuit is dies XVIII mensis Iunii. Perculsi quotquot erant

Clam omnibus & arte quadam è Polonia profugus.

erant Cracoviæ omnes tàm inopinato Regis discessu. Sed inprimis Karnkovius Episcopus Vladislaviæ, in cujus consiliis, & authoritate, quia Rex conquiescebat, quem favor omnium præsente Rege comitabatur, eundem eo absente maxima invidia premebat. Ioannes etiam Tencynius Comes, Regii cubiculi Magister, quem nihil celebat Rex, præter hoc unicum consilium suum, in eodem erat periculo. Petrus quoquè Zborovius Palatinus Cracoviensis, post mortem Firlei nuper institutus, Regis, & arcis non benè custoditæ poenas dabat, apud omnes malè audiendo, præsertim quod & ipse inter charos Regis haberetur. Ita ut quenque sors populo obtulit, qui aliquid apud Regem valuisse videretur, ita malè ab omnibus haberet. Episcopus ipse Vladislaviæ, tàm gravi Reipublicæ casu perculsus, non profecturum suscepit laborem, & ad decem milliaria Regem consequi nititur, Comite Stanislao Sandivogio Czarnkovio. Comes Tencynius velocissimis equis cum Nicolao Ze-

Vnde Primates aliquot malè in populo audiunt.

Insequitur Regem Karnkovius, sed frustra.

At Tencrynius eundem assequitur.

Zebrzydovio Regem ultra Pozynam, jam fessum, fessus & ipse assequitur. Orat, nè se, suam fidem, honorem, existimationem, nobile Regnum ita deserendo prodat; ut sistat, respondeat, consilium maturius sequatur; licitum fore per Ordines illi cum dignitate abire. Flecti non potuit Rex precibus Tenczynii, sed, annulo illi è manu sua dato, pollicetur, se non relinquere Regnum hoc, sed aliter se suum servare non posse. Cætera è literis in lecto suo relictis, tùm è sermone Caroli Danzæi, & Alemani plura intellecturos esse; confirmaret omnes bona, & certa spe reditus sui, quamprimum res Galliæ composuerit. Ita Tenczynius in urbem rediit: Episcopus etiam, hoc tanquam lethali cordis vulnere accepto, & curru non valens juvenem assequi volucrem, Cracoviam reversus, se Remque publicam Deo commendat. Literæ Regis in lucem proferuntur, & in congregatione Senatus, & Nobilium, apud Reginam, per Solikovium leguntur, qui & ipse ob Regis gratiam,

Responsum à Rege haue fert lætum.

Literæ Regis in Senatu perlectæ.

multa patiebatur. Et ea ſors eſt rerum humanarum, ut cadente arbore, frangi ramos oporteat. In fine literarum, quia Rex adjecerat, rogans ut Karnkovius ſibi & Regnum & Regiam dignitatem commendatam haberet; ad priora multis gradibus auxit in eum multorum invidiam, vulgatus jam ex literis, ad Senatores Regni perſcribitur Regis abitus. Rex Viennam contendit, & ſe Imperatori fidens, perhumaniter ab eo excipitur, & Regni Poloniæ tanquam ſibi divinitus traditi honeſtiſſimam apud eum mentionem facit. Solikovius etiam in Galliam, bono Patriæ ſtudio, Karnkovio Epiſcopo Vladiſlaviæ, & Archiepiſcopo Gneznenſi, & Tenczynio Comite conſciis, relictâ Reginâ, abiit. Lutetiam ubi perveniſſet Solikovius, Reginam Matrem cum Fratre Regis Franciſco Duce Alenconio, & Henrico Rege Navarræ Lugdunum obviam filio profectam intelligens, eam ſequitur. Tandemque apud Ducem Sabaudiæ, Chamberii Regem choreas ducentem, magno ſuo dolore, invenit. Per occaſionem com-

Rex Viennæ.

Solikovius in Galliam Regem ſequitur.

commodam, talem diſceſſum Regis arguit. Et quæ à Karnkovio Epiſcopo ejus ſtudioſiſſimo acceperat, illi exponit; perque vices varias de bonis, & ſalutaribus conſiliis capiendis Regem admonet, quas illius admonitiones Rex & Regina Mater videbatur animo benevolo audiviſſe. Extat hoc nomine Oratio Baſileæ impreſſa, ſub titulo probi, & Galliæ, ac Poloniæ amantis viri, utilis, plena conſilii. Interea in Polonia congregatio Ordinum Varſaviam ad proximum feſtum Divi Bartholomæi Apoſtoli indicitur, ubi fautores Henrici Regis incuſantur, & literæ ad Regem paulò acerbiores ſcribuntur, cum quibus Hieronymus Rozdrazevius Secretarius Major, & Ioannes Thomas Drohojevius mittuntur. Karnkovius Epiſcopus, cùm ſe minus decere exiſtimaret ab ea congregatione abeſſe, ut is qui ſibi bene conſcius eſſet, & qui ſe nullo dolo malo in Rempublicam peccaſſe ſentiret, quod in Electione huic Regi ſtuduiſſet, in medium Conſilii, benè amicis, & familiaribus ſtipatus, acceſſit, &

Oratio probi Viri, Galliæ & Poloniæ amantis.

Congregatio Varſavienſis.

& quæ ſaluti Reipublicæ conducere cenſebat, libera voce dixit. Adverſarii, qui abſentem carpebant, illo præſente, tanquam vi veritatis & innocentiæ victi, & potentiam ejus quoque reveriti, obmutuerunt. Rex auditis actis Poloniæ, apud ſe Solikovium pro Oratore Regni, licet eo invito habens cum Langadoco Aquinatenſio, & Delphinatibus Lugduni, & tandem Avenioni de iis in gratiam recipiendis, agit, eorumquè obſides per Marchionem Radeſium accipit. Hic unicus prætextus Regni Poloniæ, eum Regem retenturi egregiè Regnum illud Franciæ pacificare cœperat. Sed poſtquam literæ Polonorum allatæ eſſent, & jam etiam aliunde Rex earum exemplum haberet; & Georgius Gedrocius à Lithvanis etiam non diſſimilia, ut niſi Rex in Poloniam ad diem XII menſis Maji in Anno CIↃ IↃ LXXV ſeſe præſentaret, ſibi de alio Rege cogitandum eſſe, mandata attuliſſet. Galli partium adverſarum, tempus præfixum cernentes, trahendo res, eventus Polonici expectatione Re-

Strategema Henrici in ſedandis motibus Gallicanis.

Lithvani citant Regem in Regnum.

Regem in dies majoribus difficultatibus innectebant. Avenione igitur Rex, ubi obſides adverſariorum acceperat, rurſus Lugdunum revertitur: Et inde Rhemos, cujus loci Archiepiſcopus Cardinalis Lotharingus, vir præclarus, Avenioni mortuus erat, ad unctionem Regni Franciæ Sacram percipiendam contendit. Quo perveniens non ſolum unctionem Regiam è Sacra ampula, ſed etiam Diadema Regium, præter morem à Sancto Dyoniſio Corona utraquè allata, ipſa Dominica Quinquageſimæ, qua ante annum Polonicum acceperat, ritu ſolenni per manus XII Parium Franciæ, ipſo Coronatore Præſide Cardinali Guiſio ſeniore accepit, & tandem Lutetiam contendit. In Polonia XII Maji *Stezyciæ Conventus* Ordinum habitus eſt. In quo Internuncii à Rege reverſi, literas Regias plenas benevolentiæ exhibuerunt. Tenczynius, Secigniovius Aulæ Regiæ à Rege Præfectus, Aula tota, & Milites, Regis cauſam fovebant, imo & Vchanſcius ipſe Archiepiſcopus: multi pro Auſtriaco labora-

Henricus in Regem Galliæ unctus & coronatus.

Conventus Stezycianus.

 bant,

bant: quorum conatus ut alii reprimerent, Piaſtum urgere cœperunt. Seceſſione igitur facta, & in artificio Piaſti perſiſtentes, tum Auſtrios repulerunt, tum Regis cauſam adhuc ſuſtinuerunt. Atque ſic in varia ſtudia diſtractis omnibus, Conventus ipſe rebus infectis diſſolutus eſt. Domos ſuas quibuſque reverſis, invaleſcentibus odiis & diſſenſionibus, nonnullis etiam, qui Henrici Regis cauſæ, & nomini ſtudebant, paſſim in periculum adductis, nonnullis interfectis, denuo à multis Archiepiſcopus ſollicitatur, ut cum vix aliqua ſpes redituri Regis ſuperſit, Convocationem Regni Ordinum indiceret; pericula oſtentantur; fortaſſe etiam jam pertæſum erat Seni cum his turbis & tumultibus Regni. Ac Cæſar Maximilianus ſuis apud eum non deerat rebus. Ita Archiepiſcopus, hactenus pro Rege fortis ſatis & animoſus, labeſcens Convocationem Varſaviam indixit, ad diem Octobris III. In qua, cum diem tantum unum duraret, & Electionis novi Regis Comitia ad IV diem Novembris edi-

Infectis rebus diſſolvitur.

Electio novi Regis indicta.

edixit. Celeri nuntio in Gallias ejus rei ad Solikovium allato, nimirum ad XV Octobris, monet Regem, ut ſuæ dignitatis rationem duceret, & quantocius in Poloniam Oratores ſuos, cum authoritate aliquâ, & non tàm verbis, quàm rebus inſtructos, deſtinaret, cum Aulæ, & Militibus ſtipendiis non perſolutis, argentum Regii Gazophylacii, ab his poſſeſſiones Regiæ occupatæ teneantur, &, niſi ſatisfactione utrique factâ, de Regis reditu ab omnibus dubitetur. Rex igitur confeſtim, tanquam è ſomno excitatus, Viros magnos, Bellaguardium, & Pibracium Faurum, in Poloniam deſignat. Quorum ille per Italiam, hic per Germaniam iter inſtituere; ille à Pontifice, Venetis, Florentino trecenta aureorum millia Regi jam pacta, & promiſſa, depoſitis apud eos pretioſis monilibus Regis, habiturus erat. hic cum literis, & non vulgari etiam pecuniæ ſumma, properans, ad Soloturnum ab exule Nobili Gallo excipitur, & omnibus rebus ſpoliatur. Verùm collectis utcunquè lite-

Mittuntur ab Henrico Oratores in Poloniam.

literis, & denuo auro à Bellevrio Soliturum Præfecto adjutus, in Poloniam antequam convocatio inchoaretur pervenit. Cui cùm Archiepiscopus Zakrocinii expectandum esse mandasset, eo ad audientiam non vocato, ex improviso, & Convocationem finivit, & Electionem indixit. Zborovio quoquè Palatino Cracoviensi, & Dembinio Cancellario, è Conventu Prosevicensi Cracoviam reversis, voce Præconis per forum Interregnum publicatum est. Rexque Henricus Regni exors pronunciatus. quæ res Regem maximè Zborovio prius sibi amico offensum reddidit, nequè ulli bono Reipublicæ id factum esse res ostendit. Etenim, jussu Cæsaris Turcarum, mense exacto, Tartari maximis copiis Russiam & Podoliam & Wolhiniam ingressi, eam ferro & flammis gravissimè divexarunt, & multa hominum captivorum millia abduxerunt. Sic deinceps Pibracius cum Archiepiscopo, & Proceribus, quod ita se excepissent gravius locutus, cum mœrore per Majorem Poloniam in Italiam re-

Henrici abdicatio, & Interregni promulgatio.

Tartaris Russiam vastantibus.

repedavit. Sic & Bellaguardia, dum mora quædam ejus in Italiæ rebus injicitur, iter in Poloniam non suscepit. Rogaverat Regem Solikovius aliquoties, ut sibi in Poloniam reverti liceret, quando à Gallis res Polonas tam frigidè tractari videret. Sed Rex & Regina de die in diem eum placidis promissis trahebant. Persuaserunt autem Regi quidam Galli, ut Polonorum liberos, qui in studiis literarum Parisiis erant, clementer detineret, pactumque stipendium illis tribuendo, eos loco obsidum haberet, quò facilius hac arte Regnum in officio retineret. Sed Solikovius, adito Rege, indignum & inconsultum consilium accusans, omnes quicunque aut in Patriam reverti, aut in Italiam ire volebant, liberavit. Sic Iasloviecius, Czarnkovii, & alii Procerum filii, liberi in Italiam, etiam ex thesauro Regis munerati, abierunt. Tum sanè Solikovium, statim eo nuncio de nova Electione accepto, Rex in Poloniam non solum permisit abire, sed etiam ut id faceret rogavit. *Is se profecturum in Patriam respon-*

Solikovius ab Henrico dimissus pergit in Poloniam.

Solikovii ultima verba ad Henricum.

respondit, ut autem aliquid Regi polliceri possit, ita res Polonicas posthabenti, & Gallicis consiliis à Polonicarum rerum cogitatione abrepto, se non videre. Verum tamen si Oratores Regios in Polonia prævenerit, ac ii promissa Regia reipsa præstiterint, adhuc se semel illius apud suos Polonos causam esse acturum. Contentus illius responso Rex literas illi parari ad Senatores & Ordines Poloniæ & Lithvaniæ mandavit. Quæ dum parantur, biduo pòst magna rerum perturbatio Regem ac Regnum totum Galliæ invasit. Etenim post amissam Dominicam Crucem, quæ in Sacra Capella, magna religione & custodiâ asservabatur, & tota Lutetia ob id in luctu & jejuniis versaretur, XVII die Septembris, Dux Alenconius Frater Regius conspiratione cum Hugenotis ac eorum fautoribus malè contentis facta, & diu occultissimè tecta, cum per speciem spaciandi in horto Diaceti Itali potentis esset, ac in arcem cœnæ tempore reversurus ferretur, per pomærii posteriorem januam egressus, equum de industria paratum, aliquot consciis comitibus

Alenconius autor novæ in Galliâ rebellionis.

tibus conscendit, & per portam Sancti Germani obnubilato vultu, vespertino crepusculo excurrens, ad Droeux arcem, XVIII miliaribus Lutetia Parisiorum distantem, eadem nocte pervenit, quo ad eum multa consciorum Nobilium turba confluxit. Sic ea nocte Parisiis in Gallia ob Alenconium, ad eundem modum quo anno superiori Cracoviæ ob Henrici Regis discessum tumultuatum fuit, adeo ut Regem cum Regina Matre in Templum arci Luparæ vicinum euntes, in platea lachrymantes populus universus videret. Agitabantur consilia, quibus Frater Regis Alenconius revocari, & ad saniora, & meliora consilia adduci posset: & statim Villa-clerus ad eum expeditur, qui etiam in Polonia cum Rege fuerat. Sed hunc Alenconius dum ad se mitti intellexisset, malè eum ad se acceptum iri renunciavit. Reverso igitur isto Gonzaga Dux Nivernensis, Princeps magnæ probitatis, qui etiam in Polonia cum Rege fuit, ad eum mittitur. Fuit receptus cum honore, sed

 non

non rediit: exoratus Alenconius quidem, ſe Regem, ut Dominum agnoſcere, & agniturum ſemper reſpondit; ſed ſe abuſuum Patriæ pertæſum, ad meliorem ordinem, & Majeſtatem Regis, eo loco quo antiquorum Regum fuerit reſtituendum, & jura Regni, ac libertatem Nationis Gallicæ reſtaurandum tendere; orare, ut Comitia Regni qualia olim fuerunt, & quibus Regnum Poloniæ gaudeat, Rex Chriſtianiſſimus indiceret. In his tranſactionibus Gallicanis Solikovius Regem conſolatus, eique valedicto, acceptis ab eo literis, quarto die poſt diſceſſum Alenconii Pariſiis excurrens per Poſtam, per Exercitum Regium, & vix vitatis Caſimiri Rhenani Principis, qui in Galliam tendebat, militibus, Cracoviam peracta Convocatione Regni pervenit. Vbi Zborovio Palatino, Dembinio Cancellario, & aliis, qui tum ibi aderant, fruſtra nomine Regis Henrici tentatis, & culpam tamen publicati Interregni, Regiſque proclamati, tanquam certiſſimæ ejus rei cauſæ, Tartarorum incurſionis,

Solikovius in Poloniam redux Henrici cauſam fovet.

ſionis, altero in alterum rejiciente. Neque tamen contra vim univerſorum diutius certandum erat. Ad Karnkovium igitur Epiſcopum Vladiſlaviæ Volborium ſe contulit. Quem cum longa expectatione, de Regis melioribus, & maturioribus conſiliis feſſum, inque orationibus ad Deum fixum, & ſeſe adhuc Reipublicæ ſaluti ſervantem, & ad omnia ſalutaria Regni conſilia armantem inveniſſet; ejus conſilio non nimis ferventer Regias ulterius partes fovebat. Inciderat prius Solikovius, & in Comitia Palatinatus Siradienſis, quæ devitanda ſibi, dum non putaret, ac non pauci in eum ejuſque ſocios, Regiarum partium fautores, invectivas Orationes facerent, & profectionis ſuæ in Galliam cauſas, Regis bonum animum, & adventum ſuum ſub hoc tempus in Patriam, ità omnibus probavit, ut loco Comitiorum gratiæ illi ab omni Nobilitate agerentur, & mirificum in animis omnium erga Regem Henricum deſiderium denuo excitatum eſſet: Lachrymis etiam & lamentationibus

Ac in Conventu Siradienſi multum efficit.

 mul-

multorum comprobatum, Episcopo Vladislaviæ non renuente, Archiepiscopum etiam adiit, sed hunc jam die sequenti Varsaviam iter ingressurum, & à Rege Henrico alienum satis invenit. Agnovit Solikovius eum jam alio spectare, & cum parato ferè Rege ad Electionem proficisci, quem tamen, eo ipso volente comitatus est, de omnibus rebus Episcopum Vladislaviæ semper certiorem reddens. Multoties Archiepiscopus ad Secretum colloquium Stanislaum Czarnkovium Referendarium, Ioannem Sienicium Tarnogovium, & hunc ipsum Solikovium accersebat, &, proposita de Rege quæstione, eos audiebat. Czarnkovius Cæsarem Maximilianum eligendum, Sienicius Piastum, Solikovius Henricum retinendum censebat. Quod cum aliquoties, non sine rationum collatione, fortius & ardentius actum esset; ambo ii Solikovium tempore quodam aggressi, & seriò multis sermonibus de sententia deducere volentes, ipsi tamen in suo quisque sensu ferè à se invicem discre-

Archiepiscopum alieniorem ab Henrico invenit.

pan-

pantes, ita rationibus ejus vincebantur, ut Sienicius, adjurato eo per Deum vivum, dextraque ejus apprehensa, rogaret: *Num pollicetur Solikovius certò Henricum Regem in Poloniam post annum reversurum. se certo affirmare adhuc à Nobilitate impetrari posse, ut hunc unum annum illius adventum; & de rebus omnibus compositionem patienter expectarent.* Hic Solikovius, videns Sienicium in ejus asseveratione conquiescere velle, veritus nè ea polliceretur, quæ effectum non sint sortitura, *se polliceri certo non posse*, dixit. *Verùm se hoc posse prædicere, Rege Henrico abdicato & relicto, hac novi Regis Electione duos Reges Poloniam habituram esse.* Obmutescente utroque disceptationum illarum finis factus est. Conspectu Solikovii è Galliâ reversi Hæretici in eum conspirationem fecerunt, & Krassinium Episcopum Cracoviensem adierunt, quo Archiepiscopum ab eo abalienarent: Episcopus fecit, seu quod Solikovio metueret, nè quid is ab Hæreticis per vim pateretur, seu quod illis satisfacere vellet. Et cum ambo Pontifices eum de

Solikovii judicium de reditu Henrici.

peri-

periculo admonuissent, ipseque eodem ferè vesperi, ad lumen candelæ ex hospitiis, in quibus conventicula Hæreticorum habebantur, per fenestram bombardis displosis, non multum à periculo abfuisset, nè cum larvis certaret, ad Episcopum Vladislaviæ, qui & ipse, paratis rebus omnibus in omnem usum Reipublicæ, Volborii consilio amicorum subsistebat, abeundum sibi putavit. Sed nè vel metu, vel periculo, vel improbitate hostium à benefaciendo, serviendoque Patriæ desisteret, postquam de probitate, prudentia, & dotibus animi & corporis Ducis Ferrariæ multa à viris fide dignis, dici audivisset, ad vindicandos inimicos suos, & Patriæ commodum, & honorem, in ejus personæ commendationem populare scriptum confecit. Quod cum Oratores illius Senatui & Ordinibus exhibuissent, ac publicè lectum esset, plurimorum animos Alphonso benevolos effecerat. Quod & Pontifici Maximo, & Imperatori, & Regi Galliæ ejus Electionem non invidiosam fore declararetur.

Alphonsus II, Dux Ferrariæ, à Solikovio laudatus.

Acuerat Karnkovium *Martini Gerstmani* Episcopi Vratislaviensis, qui ab Imperatore ad ea Comitia erat Legationis Princeps factus, qui vadens Varsaviam, vel per imprudentiam, vel quodam suo Consilio, vel etiam sua infelicitate fatali, eum Volborii præterierat. Vnde partes Cæsarianorum magis Karnkovio fuerunt suspectæ, quod & eos ubi poterant, se sua eum consilia celare animadverteret. Et tanto quidém magis, quod non jam filium aliquem Imperatoris, sed ipsum Imperatorem pro Candidato Regni proponi intelligeret. Erat tempus anni alienum, & tractandis consiliis sub dio & papilionibus ineptum. Multa in animis hominum acerbitas, qualibet ex re suboriebatur, neque sibi ut fratres Ioseph mutuo quisque alteri pacifice loquebatur. Præterea nequè modus, aut ordinis aliqua species in rebus agendis par Electioni Henricanæ, in qua ferè Karnkovius clavum tenuerat, habebatur. Itaquè tanquam sibi, fortunæque suæ irati omnes, celebratissimæ, & clarissimæ

Novi Regis Electio.

ſimæ Electionis ſuæ prioris fructu ſe defraudatos eſſe, alii quidem in omnem occaſionem intenti fuerunt, quo pacto, jure vel injuria, Imperatorem Maximilianum Regem renunciarent. Alii verò ad eum excludendum, popularem ſententiam ſequuti, domeſtico Regi ſtudebant, & Regnum jam ipſum ad *Ioannem Koſtkam* Palatinum Sandomirienſem, & *Andream Comitem Tenczynium* Palatinum Belzenſem deferebant. Quo propoſito utrorumquè moderationem nullam admittente; Cæſariani, ſimulato pauliſper Syncretiſmo, intra Vrbem ſe recipere conſultandi cauſa præ ſe ferentes, prope muros Civitatis in campo, ut id legitimè feciſſe viderentur, cum Archiepiſcopo ſubſtiterunt: Miſſiſque à ſe quibuſdam, hoc eſt Epiſcopo Cracovienſi *Kraſinio*, & Palatino Podoliæ *Mielecio*, atque aliis cum Nobilitate, quæ ſuum locum, in loco privilegiato tenebat tractandi cauſa, XII Decembris *Cæſarem Maximilianum Regem Poloniæ renunciarunt*. Et ſtatim ad Templum Civitatis præcipuum, ubi Regina fuit,

Ioannes Koſtka & Andreas Tenczynius Candidati Regni.

Cæſar Maximilianus ab una factione Rex Poloniæ declaratur.

fuit, ad canendum Deo Hymnum profecti ſunt, Czarnkovio & Chriſtophoro Zborovio aſſiduo Archiepiſcopum cuſtodientibus. Quod ubi ad Nobilitatis Caſtra relatum eſt, fremere omnes, ac frendere, quod altera pars non fraternè ſecum egiſſet. Et cum ſemel atquè iterum aliquos ex ſuis ad eos qui Cæſarem renunciaverant miſiſſent, rogantes ne vim Reipublicæ ac libertati communi inferrent, & ſui liberorumque mifererentur, nihilque operæpretii ac nè commodi quidem reſponſi tuliſſent, proteſtati de injuria ſibi facta, *Annam Reginam* Virginem ſibi Principem legitimam, per *Ioannem Sienicium* poſtridie inaugurarunt, eidemque Maritum *Stephanum Bathory* Palatinum Tranſylvaniæ, ac futurum Regem deſignarunt. Et mox eidem Reginæ per Ioannem Koſtkam Palatinum Sandomirienſem, & multos alios, Regnum, ſe, ſuaſquè libertates, vitam & fortunas deferunt. Indoluit illa primo Regni Schiſmate, tàm periculoſo, lachrymiſque fatalem Reipublicæ converſionem

Proteſtantibus aliis contra,

Et Stephanum Bathoreum nominantibus.

prosequuta: Sed postea, ubi Ordines in sententia perstare videret, assensum ad ea omnia quæ ex usu Reipublicæ essent præbuit, seque eorum fidei consiliis & fidelibus studiis permittit, omnia sua pro salute eorum, ac Reipublicæ devovens. Karnkovius Episcopus, ut tàm periculosum Schisma sanaret, Varsaviam accurrere voluit, sed Solikovio, & aliis rogantibus, ut paulisper se adhuc domi contineret, non dubius ab utraque parte ejus consilium imploratum iri, & jam hanc illam à Deo occasionem præparatam esse, qua omnis illa invidiæ flamma, quâ Regis Henrici causa apud omnes flagrabat, suâ sponte sit collapsura. Vix profectionis suæ sententiam cohibebat, cum ecce primum à Batorianis, deinde à Cæsarianis compellatur. Cupiebat is maximopere, & rogabat, ut ii Oratores ad suos Candidatos mitterent, & potius in unum Candidatum quempiam, præteritis hisce ambobus, convenirent: eaque de causa Lovicium ad Archiepiscopum accurrit, sed is jam ita animum ob-

Karnkovius istud dissidium componere nititur.

Sed frustra.

obfirmaverat, ut de sua sententia nulla ratione deduci potuerit. Abierunt igitur utriusque partis nomine Oratores ad suos quisque Electos. Ad Cæsarem Albertus Lascius Palatinus Siradiensis, Stanislaus Sandivogius Czarnkovius, Gostomscius Castellanus Sochacoviensis, Christophorus Zborovius cum Collegis. Ad Batorium verò, Ioannes Tarlo Palatinus Lublinensis, Georgius Mniszek Incisor Regius, Albertus Starzechowski. Nicolaus Iazlowieczki, Ioannes Ostrorog, Martinus Lwowski, Ioannes Plaza, Georgius Niemsta, Adam Gorayski, Stanislaus Lascz, Stanislaus Pstrokonski, Ioannes Beldowski, Ioannes Radzieiowski: ad quem etiam Archiepiscopus Iacobum Woronecium nepotem suum misit, monens ne se decipi à quopiam pateretur. Regnum ne alteri Electo & prius nominato Principi intervertere præsumeret. Atque eodem propè tempore *Stanislaum Sandivogium Czarnkovium*, quondam consensum Regis Henrici producentem Coadjutorem Archiepiscopatus

Oratores ad utrumque Electum missi.

Czarnkovius Coadjutor Archiepiscop.

patus Gneznensis cum Capitulo instituit, & Clavem Zninensem illi concedit. Batorianis inde meliorem telam fortuna texere cœpit, quod ad judicium totius Reipublicæ provocarant, & Comitia particularia passim; postremo Generalem Conventum Andreoviam indixerant.

Andreoviensis Conventus.

Ad quem cum certatim Karnkovius, tanquam vindex Patriæ libertatis oppressæ, evocaretur, illuc profectus est. Et in eo confirmata Stephani Electione, ac Imperatoris reprobata, (idquè in anno CIↃ IↃ LXXV) nam & Oratores illius illuc advenerant, postquam per *Philopponium* à Stephano & Regni conditiones susceptæ, & jurejurando firmatæ, allatæ essent, & celer illius in Regnum adventus promitteretur, jam à partibus Bathorianorum apertè stetit, ipsoque authore, & dies Coronationis dictus, & ad eum ipsum Stephanum variæ adquè fœderatos Regni Principes literæ, & legationes decretæ, & expeditæ fuerunt, ubi cum mentio fieret in scriptis Confœderationis de religione abunde Episcopus Iuribus Ec-

clesiasticis cavit. Missi etiam fuerunt ex hoc Andreoviensi Conventu Oratores ad Cæsarem Lanczkoronski, seu Wodzislawski, Castellanus Zavichostensis, & Martinus Bialobrzeski Abbas Mogilæ, qui Cæsarem mitigarent, & justæ Electionis Stephani rationes ostenderent, quibus à Cæsare omne humanitatis genus ostensum est. Sub hoc idem etiam tempus Vchansejus Archiepiscopus Conventum, ad diem ultimam Februarii, Conventui Andreoviensi contrarium edixit, qui tamen admodum infrequens fuit.

Cui à Cæsarianis Conventus Lovicensis oppositus.

Vnus ferè Episcoporum fuit Karnkovius qui se his partibus primus adjunxit, quod ab eo magno rei Ecclesiasticæ emolumento factum fuisse tempus, & res ipsa postea comprobavit. Etenim cum Stephanus Hæreticorum ut plurimum studiis Rex esset nominatus, tanquam is, qui aut Hæreticus, aut Hæreticorum fautor ab illis existimaretur; & confirmaret hanc eorum opinionem *Blandrata*, homo hæreticus, ab eo ad Electionem missus; timens Episco-

copus nè eum, vel totum, vel medium haberent Hæretici, in hoc nervos suos intendit, ut antequam Stephanus in Regnum ingrederetur, de ejus fide ac religione edoctus, vel eum sibi ulterius fovendum, aut verò, si quid secus de eo intelligerent, Regio fastigio ac Throno excludendum curaret. Coronationis Regis & Reginæ dies Dominicus Quinquagesimæ dictus est, quo cum Regis in Regnum adventus desperaretur, longo enim terrarum circuitu, ut Vngariam Imperatori subjectam devitaret, per Valachiam & Moldaviam iter instituerat, gliscentibus Cæsarianorum artibus, rumoribusque variis; hinc inde animos Bathorianorum in diversa trahentibus. Karnkovius, licet adhuc de Regis adventu nihil certi haberet, tamen Cracoviam ad diem dictum se contulit, Reginæque ut eò proficisceretur persuasit. Et quoniam à Cæsarianis præveniri timebat, ne Rempublicam in incerto statu relinqueret, si vel Stephanus tardius adesset, vel aliquis gravior casus, ut sunt huma-

Dies Coronationis Stephani indicta.

Interea ad omnia intento Karnkovio.

humanæ res, cursum sui cœpti turbaret, coacto Consilio Senatus, de Regina coronanda ad Senatum & Ordines retulit. Et quoniam in Republica tuenda maximè Statum Ecclesiasticum, ne quid detrimenti acciperet, attendebat, cum Clero in primis Cracoviensi sua consilia communicat. Vtrobique variantibus Sententiis res tandem in ulteriorem deliberationem dilata fuit. Interea tamen, ne diu expectatus Rex, rebus Ecclesiæ Dei non provisis, Regni fines intraret, arrepta hac occasione, quod Rex eum, ut sibi ad fines Regni occurreret, literis suis invitabat, ipse se rebus omnibus servans, & invidiam hominum declinans, ad eum non ivit, sed Solikovium ad se domo literis evocatum, & ne Reipublicæ & causæ divinæ in tam periculoso tempore & ipse deesset, suo loco, ad eum mittit. Magnum à Cæsarianis videbatur imminere periculum, sed multo majus si Rex in potestate Hæreticorum totus esset: Solikovius igitur de omni re, quam cum Rege ageret, Episcopi sententiâ in-

Karnkovius Stephano obviam ire renuit.

Solikovius à Karnkovio novo Regi obviam missus.

intellectâ, & plenè de omnibus instructus in ulteriorem Russiam profectus, Regi Electo Stephano ad *Sniatinium* occurrit. Eum Prutum amnem, Moldaviam à Podolia disterminantem, transvectum, Hieronymus Russiæ Palatinus, & Nicolaus Castellanus Camenecensis Sieniavii Fratres, cum non contemnendo exercitu exceperunt, & per Martinum Mæzænium Iurisconsultum salutarunt. Invulgato Solikovii adventu apud Oratores, qui Regem Electum adducebant, qui, uno tantum excepto, Hæretici omnes fuerunt. Omnes, ne Solikovius à Rege nisi præsentibus illis admitteretur, vel audiretur, decreverunt; quod vererentur, ne is per eum in Ecclesiasticorum potestatem deveniret. Quod Solikovius, ex iis qui Episcopo Karnkovio favebant, ubi subolevit, ipse ad Oratores misit, rogans, ut sibi accessum nomine Episcopi ad Regem compararent, qui in periculo maximo Reipublicæ, & illis omnibus & Regi huic Electo adesset. Et cum etiam quicquid ejus nomine apud Regem

gem acturus esset, ipsos Oratores præsentes adesse, audire, & intelligere cuperet. Quo intellecto Oratores exhilarati, jam in Solikovium, atque in ejus persona in Episcopum Coricæi esse nolebant, sed Plazæ tantum & Niemstæ id negotii dederunt, ut Solikovium ad Regem concomitati ei cum illo colloquenti adessent. Sed, ut mos nostrorum fert, solus tantum Plaza adfuit, & salutationem tantum ac benedictionem Episcopi audivit, atque ad suos retulit. Cæteroquin de hora secretioris colloquii submissius loquuti; tandem hora vespertina ejusdem diei, & in profundam noctem secum Rex & Solikovius, Philipponio fores observante (qui dies fuit Sabbathi) fuerunt. *Illic Regem de omnibus rebus, quæ fundamentum essent Regni feliciter inchoandi, plenissimè, nomine Episcopi, edocet. Quid agere, quæ consilia sequi, quæ vitare, in quas partes oculos & animum advertere oporteat, quo animo deniquè esse, quàm perspicaci, & quæ sibi ferenda & exantlanda sint, quàm animo forti, jamquè ad ipsum Regni limen prævidenda & ponderanda, & animo*

Solikovii colloquium cum Rege secretius.

animo bene ad omnia munito ſuſtinenda, deſcriptis illis omnibus, & Statibus hominum, & forma Reipublicæ, & actionibus, ac rebus univerſis, prout tùm illo Colloquio brevi fieri poterat, illum inſtruit, & ad cætera audienda benevolum, attentum, & docilem efficit. Hic tandem de gratitudine Deo reddenda, de fide ei præſtanda, & fide quidem Catholica, quâ ſint, & ſine cujus vera & ſyncera profeſſione & obſervatione, non ſolum Diademate Regio ſe non eſſe potiturum, ſed nec Cracoviam quidem, Sedem Coronandorum ac conſervandorum Regum laudatiſſimam, & Catholiciſſimam ſemper, hactenus Principum eſſe conſpecturum. Firmamentum eſſe Regni Catholicam fidem, & Catholicos Viros, ipſumquè Sacrum Ordinem Spiritualem eſſe primam & præcipuam Reipublicæ partem, & Senatus caput, & Regis animam, lucernam ac Spiritum vitalem. Profitendam igitur eſſe fidem, verè & ſyncerè cum Deo agendum, qui eum ad tanti regni gubernacula vocarit, qui jam ad fines adduxerit: cætera ſecutura, & adjectum iri gratis, modo is intra limen & oſtium Regni pedem ſuum in veſtigia priorum Regum Poloniæ ponat, & figat, Miſſam ſingulis diebus audiat, Epiſcopos ut

Pa-

Patres veneretur, & illis obediat. Romanum Pontificem Summum Ieſu Chriſti Vicarium recognoſcat. Iura Eccleſiarum ſarta tecta conſervet, Senatum diligat, Ordini Equeſtri fidat. Hæreticorum conſilia, tanquam Regno & ſibi pernicioſa ſuſpecta habeat. Non deeſſe adhuc ingentem vim rerum difficilium. Lithvanos adhuc in alterius eſſe Electi fide; item Pruſſos, Poloniæ magnam partem; teneri multas arces in fide Auſtriaci, Imperatorem competitorem eſſe magnum & potentem, ſed iſta omnia ceſſura, & tanquam vanas nubes præteritura, & Regno pacem, & tranquillitatem relictura, ſi Deus cum eo, ille cum Deo fuerit. Iam Epiſcopo Karnkovio fautore Clerum ferè omnem ac CoEpiſcopos omnes in partes Stephani concedere: Iam Reginam, Aulam, Milites, Palatinum Cracovienſem Zborovium, & Comitia plena ejus adventum feliciter expectare. Modò ut is non diſſimilis eſſe prioribus Regibus Poloniæ, pietate, & conſtantia intelligatur. Audivit Rex Electus Solikovium non ſine ſuſpiriis, & cum ſingulari conſolatione ſua. Et non ſolùm ad omnia verbis fuſiſſimis reſpondit, ſed etiam fidei ſuæ Catholicæ profeſſione gene- *Reſponſum Regis.*

rali

rali factâ, rebus ſtatim ipſis, ita Solikovio ſatisfecit, ut is de eo omnia præclarè, & ſentiret, & ad Epiſcopum perſcriberet. Et quoniam ante aliquot annos Sniatinium à Moldavis exuſtum, nec dum reſtitutam Eccleſiam Catholicam habebat, in qua die Dominico craſtino Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audiret, Solikovio locum ubi id fieri poſſet demonſtrante, ſequenti die ſummo manè illud ſe auditurum, & illud idem ſingulis diebus facturum lubentiſſimo animo ſpopondit. Habebat autem jam ſecum ab Epiſcopo Solikovius & Sacerdotem, & omnem Altaris apparatum, quem penes Regem cum pueris amanuenſibus reliquit. Multi ſermones fuerunt de Tranſylvaniæ Religionibus impiis, de paucitate Catholicorum, de Societatis Ieſu Patribus, quos per Fabium Dalmatam jam petierit. Religionem quidem Catholicam ſe ſemper ob Proceres Hungariæ, & populos omnes Hæreticos integram ſervaſſe occultè, & Monacho cuidam Albæ Iuliæ, Seni, per ſpeciem vena-

nationis ad eum excurrens, confiteri, & ab eo communicari ſolitum fuiſſe. Et ſe quidem militari modo in penitioribus articulis Catholicæ fidei verſatum, ſed animo prompto omnia auditurum, & ſuſcepturum quæcunquè in ſalutem animæ ſuæ, & Reipublicæ, præſertim Eccleſiæ Statum tuendum, & ornandum pertinere edoctus ab Epiſcopo fuerit. Multa dehinc de rebus aliis, politia Regni hujus, moribus Sigiſmundi Auguſti, Henrici, itemque Officiis Regni, & forma Reipublicæ interrogabat. Sequenti igitur die feſto Dominico ſummo mane Sacrum Miſſæ Sacrificium audivit cum lachrymis: etiam librum Euangelii ſibi oblatum exoſculatus eſt, & per totum Sacrum genibus flexis orans. Oratores durante Miſſæ Sacrificio ante fores erant, & cum Miſſam apud Regem haberi intellexiſſent, *Iam iſti Sacerdotes* inquiunt, *ſe in poſſeſſionem Regis intruſerunt.* Dum hæc apud Regem aguntur ii qui ad Cæſarem miſſi fuerant redeunt; & cùm Senatui & Ordinibus Regni à Cæſare literas

Rex Miſſæ ſacrificio intereſt.

Id quod Oratores ad Regem malè habet.

teras exhibuissent, quibus Cæsar eos fideles, dilectos, compellavit, malam gratiam apud omnes inierunt, tanquam ii qui Ius Cæsareæ Electionis, allatis talibus literis, non obscurè confirmassent. De Rege autem Electo magna fuit Cracoviæ expectatio apud omnes, sed maximè apud Episcopum Karnkovium, quem fructum allatura esset hæc ad eum Solikovii profectio. Igitur cum literas Solikovii accepisset, quibus is Regem Electum, ac præclaras illius animi dotes ac corporis, item prudentiam, facundiam, maturitatem, industriam, rerum usum, ejus describebat, Episcopus ejus literis sparsis, mirifica erga eum studia omnium excitavit. Rex Electus ante Festa Paschæ Vrbem ingredi debuit; sed adversa valetudine impeditus, ad Mogilæ Monasterium, uno ab urbe milliario, substitit. Quem Episcopus etsi primo quoquè tempore videre cupiebat, tamen ne linguis hominum incurreret, sese domi continuit; & ad eum Martinum Pilsnensem, Stanislaum Solikovium, & Clodaviensem Regis Sigismundi Augusti Concionatorem, Theologos ex Academia Cracoviensi, ut operam eorum, aut unius eorum, qui ei magis placeret, in rebus fidei uteretur, destinavit. Rex sibi *Solikovium* delegit, eumque penes se retinuit. Quo postea, quia linguâ Latinâ Rex utebatur, & alios dicentes audiebat, per annos quinque continuos Concionatore grato, & felici usus est. Peractis festis Paschæ Rex Electus XVIII Aprilis adveniens à Senatoribus & Nuntiis Equestribus, ante portam Sancti Floriani, in Campo patente, die sereno, & favente aura exceptus est, & per Episcopum Karnkovium omnium nomine salutatus. Ad cujus orationem ipse ore suo respondit. Et tandem urbem & Arcem, solenni quidem, sed Henricanæ nihil simili, pompa ingressus est. Et tandem, post diem octavam Paschæ, cum Archiepiscopus Vchanscius venire nollet, die Martis profesto, & in Templo Sancti Stanislai Cracoviæ in Arce, de more, ab Episcopo Karnkovio, una cum Anna Regina

Rex electus ad S. Tumbam æger.

Solikovius Theologus Regius.

Ingressus Regis Cracoviam.

Post, Coronatio à Karnkovio peracta.

gina coronatus eſt, cautione adhibita: Ne ea res Archiepiſcopo Gneznenſi, tanquam Primati, ac Regum Coronatori præjudicaret, & in jurejurando Regio, de ſalvo Iure Ordinis Eccleſiaſtici in ſervanda pace inter diſſidentes de Religione conditione adjecta, quam cum Hæretici nollent, tandem in hanc formam conventum eſt, ut enunciaretur ſalvum Ius partium.

Anna Regina juri maternæ renuntiare cogitur.

Regina priuſquam coronaretur, & Vxor Regis eſſe declararetur, Iuribus ſuæ Matris Bonæ, in quibuſdam Regni Poloniæ, Lithvaniæ, & Mazoviæ fundis renunciavit, & novam fundi inſcriptionem in terris Mazoviæ accepit. Non deerant qui Regem aliam Vxorem ducere conſulerent;

Annæ cum Rege conjugium.

ſed Karnkovius, unà cum aliis mitioris ſententiæ Senatoribus, Reginæ authoritatem, quæ etiam in Electione priore loco nominata fuit, defendit, & incommodum potius aliquod ob ætatem domeſtica patientia ferendum, quàm ut & Reginæ ſtirpis Polonæ contumelia fieret, & in rebus novis & imperfectis Rex & Regina peregrini ambo

ambo Regno præeſſent. Coronatione perfectâ, & variis quibuſdam fabellis de Rege à Regina alieniore, atque ob id bellum prius cum Regni hoſtibus quàm fœdera Conjugii perfecturo diſcuſſis, & metu compreſſo: ea quæ ad gubernacula Regni feliciter inchoanda pertinebant, agi, & tractari cœperunt. Rex in foro Vrbis, de more in Throno reſidens, à Cracovienſibus Iusjurandum fidelitatis recepit. A Principibus Vaſallis Internuncii, temporis deſignationem, quo fidem ſuam præſtarent, etiam nonnulli adfuerunt. Ex Lithvanis nemo Coronationi adfuit. Tandem quod Ioannes Chodkievicius, Capitaneus Samogitiæ, & Marſchalcus Lithvaniæ jam in Electione in partes Stephani, operâ Petri Zborovii Palatini Cracovienſis, cujus Sororem ante annos complures Conjugem habebat, conceſſerat; & cæteros Lithvanos Polonis ſe adjuncturos, bona ſpes erat. Quod & factum eſt. Nam Ioannes Chlebovicius, Caſtellanus Minſcenſis cum aliquot aliis Lithvanis ad Regem

Lithvani novi Regis electionem approbant.

venit, eumque Regem tantum Poloniæ consalutans, de injuria à Polonis accepta, quod eum Regem, Lithvanis exclusis, contra unionis præscriptum, renunciassent, multis verbis egit: qui privatim cum Rege collocuti, & prudentiam ipsius meliore nota conspicati; præterea & toti illi Provinciæ Ius suum fore salvum, defensioque contra Moschum promissa esset, non difficulter & ipsi Regi se adjunxerunt, & suos omnes idem facturos esse polliciti sunt. Erat inter Nobiles Viros Regni & Secretarios Regis Sigismundi Augusti juvenis præclarus, & doctus, *Ioannes Zamoscius* Capitaneus Belzensis & Zamechensis, cui etiam Rex Henricus Knisinum dederat. Is in Electione Stephani cum Ioanne Sienicio Tarnogovio sensit, & multis eum consiliis, ad negotium pro Stephano conficiendum, juvit. In eum Rex, statim initio sui Regni, oculos & animum conjecit, seu quod suæ Electioni favisset, sive quod præterea magnam in eo eruditionem, & modestiam morum animadverteret. Quod

Iohannes Zamoscius Regis gratiam adeptus.

non

non solum ab æqualibus ejus, sed etiam à Senatoribus multis notabatur. Qui postea in quanta Regis gratia fuerit, & ad quantas fortunas pervenerit, ea quæ sequuntur abundè demonstrant. Nunc cœpta prosequamur. Imminebat Regno Cæsar, & fretus suorum favore, quos in Polonia habebat, tum verò Oratorum Polonorum precibus excitatus, Comitia Imperii Ratisbonam ad proximum mensem Iunium indixerat. Consilia igitur, tùm de Cæsarianis ad concordiam adducendis, tum de Cæsare à cogitatione Regni Poloniæ deducendo acta sunt. Cum autem Regi non placeret, nomine suo quenquam ad Cæsarem mitti, ne jam in Regni possessione positus, & Rex coronatus, & Reginam Vxorem habens, sua cum illo disceptatione suam dignitatem in dubium revocare videretur. Sed ut Senatores, ac Ordines Regni potius aliquos mitterent, sive ex medio sui, seu ex Secretariis Nobilibus, qui non solum Cæsarem adirent, & cum eo, ne Regnum jam quietum turbaret, agerent:

Legati à Senatu ad Cæsarem missi.

Sed

Sed etiam Ordines Imperii compellarent, ut pacifica consilia Imperatori, ad mutuam pacem, & tranquillitatem conservandam, & temerè orbem Christianum bellis non implicandum, darent. Eam ad rem delecti sunt, Ioannes Crotosius Palatinides Inovladislaviensis, & Ioannes Demetrius Solikovius, ambo Secretarii: Hi literis Senatus & Ordinum ad Cæsarem & Principes acceptis, sine magno apparatu, (ita enim jusserat Rex) Regis ipsius literis tantum passus muniti, iter arripuerunt. Pluribus per Silesiam locis impediebantur, sed fortuna animos eorum juvante, & patientia durum superante, ita progrediebantur, ut Pragam incolumes pervenerint: ubi, quoniam sub id tempus etiam Polonici Regni causa, Præside Rudolpho Rege Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ, ac præsente Archiduce Ernesto, Comitia Bohemiæ agebantur, ad quæ nullas literas nec mandata suorum habebant. Patefacto eorum adventu, nec tamen eis qui essent, apud eos quorum intererat, celantibus, à Rege

per

per Scolowrocium Valstinum Vatembergium & Wehinscium salutati, & in media Comitia ingressi, Regem Romanorum, & Ernestum de suis personis salutarunt: & iis, quæ tum res postulabat, ore rotundo, dictis, suâ suorumque existimatione servatâ, invidiosissimæ Legationis non infaustum expediendæ bona initia dederunt. Rex enim Romanorum, ubi eos ad Cæsarem suum Parentem proficisci comperit, satagebat, ut non Ratisponam, ubi nondum Cæsar aderat; sed Viennam ad ipsum Cæsarem, ubi is adhuc esse ferebatur, irent. Sed illis rectà Ratisponam se malle respondentibus, ut maturæ Cæsareæ Majestati adventanti occurrerent, nevè ab eo in itinere exerrarent, ad diem sedecimum, donec Cæsari de eorum adventu perscriberetur, sic volente, & rogante Rege Rudolpho (qui mos est Principum, ut rogent, quod habere volunt) Pragæ manserunt. Multoties à Proceribus illius Regni compellati, tandem dimissi Ratisponam venerunt. Et Cæsar die sequenti, mense Iunio

me-

medio advenit. Rex Stephanus in Polonia res ſuas agebat, & quia Lanczkorona Arx Cracoviæ vicina, quæ recipere poterat ex Hungaria aliquot præſidium, quam Albertus Laſcius Palatinus Siradiæ, præſidio in ea relicto, tenebat, eam Rex aliquantâ oppugnatione cœpit. Pruſcovium primò, deinde Francendorffium audientiam Polonici Nuntii apud Cæſarem petebant, ſed ea tàm diu trahebatur, donec Moſchorum Legati advenirent. Altero igitur die Nuncii Polonici ad Cæſarem accerſuntur, A Pruſcovio veteri ſuo amico Solikovius intelligere cupiebat, num publicam, vel privatam audientiam apud Cæſaream Majeſtatem eſſent habituri. Sed id etſi minus obtinuiſſent, nihilominus animo præſenti, inter Germanorum & Polonorum greges ſibi adverſos incedentes, voculis etiam ſuorum diſſimulatis, ad Cæſarem intrarunt. Ingreſſi, & ſalutato per Crotoſium Imperatore, literiſque illi datis, Solikovius rem ipſam aggreſſus, totum Electionis negotium, uti res erat, longâ oratione Cæ-

Cæſari expoſuit. Circumſtabant Imperatorem, Wilhelmus Dux Bavariæ, & Albertus Laski cum Chriſtophoro Zborovio, ac Principum Germaniæ Legati, dum is verba faceret. Erant, qui, antequam diceret, gratius fore Imperatori ſuggerebant, ſi, quæ dicturi eſſent, potiùs in ſcripto exhiberent. Sed illi maluerunt verba facere, quæ aliter accipi non poterant, & plus efficaciæ apud varios auditores habitura illis viſa ſunt, quàm ſcriptum, quod à multis ignoraretur, tradere. *Igitur primum de tardiore audientia conqueſti ſunt: inde, quod ad videndum prius Imperatorem privatim admiſſi non ſint: inde, quod publicamnè an privatam audientiam eſſent habituri non præmoniti fuerint. Cæterum ita excepti, tanquam hoſtium legati, qui tamen alibi mitius tractentur, adveniſſent. Sed tamen ea omnia tempori condonare, &, ſua privata illa ſit, ſeu publica audientia, ita ſe verba facturos, & accommodaturos, ut & dignitatem Majeſtatis Cæſareæ, quàm maximè obſervare, & ad eum omnia vera, certa, & explorata, ſecus quàm alios, qui ad eum Regnum detulerint, retuliſſe, omnibus appa-*

Oratio Solikovii Legati ad Imperatorem Maximilianum.

apparere possit. Inde, discessu Regis Henrici, ac ejus retinendi studio, & periculis Regni, quibus eo absente, tùm foris, tùm domi, distinebatur, & necessario institutæ novæ Electionis rationibus commemoratis, ipsum initium, progressum, tractationem, ac finem discordiæ Electionis exposuerunt: Ita ut qui illi Electioni aderant, ita se verè habere fateri, & qui non aderant, sed tamen audiebant, omnia probabilia apud se habere, & agnoscere planè cogerentur. Cum tamen Ius Electionis Regis in Regno libero ad omnes Ordines pertineat, excluso Equestri Ordine, & Senatorum multo majore parte, nec Archiepiscopum Regem nominare, nec Marschalcum promulgare potuisse. Qua in utraque re, præter alia innumera quæ ad probationem veræ ac legitimæ Electionis requirebantur prætermissa, aut secus quàm libertas & Status Reipublicæ exposceret acta, multum à scopo aberratum fuisse; & Nominationem secessu facto, præter opinionem, & demum promulgationem, in ipsa Arce conclusa, non in Electionis loco peractam fuisse. Et cum cætera pars Senatus ac Nobilitas Regni, cavendo libertati suæ, ita à paucis Fratribus oppressæ, ac in discrimen adductæ, Reginam Annam Infantem, Regum Poloniæ

Poloniæ Neptem, Filiam, & Sororem, cum Stephano Bathorii Palatino Transylvaniæ pari ætate copulandam Reginam suam dixissent, ac contraria multo majoris partis Electione, quam legitimam in tali casu esse statuerent, libertatibus suis in posterum cavissent, tamen ad res concludendas, & Schisma confirmandum, eos non properasse, verùm Cæsarianos ad omne genus concordiæ tractandæ, & medii alicujus amplectendi, aliquoties invitasse. Cæsarianisque ad nullas concordiæ rationes condescendere volentibus, sed magis in sententia persistentibus, etiam eos ab Electa Infante Regina, ac Electo Rege suo resilire non potuisse. Ex qua collisione studentium suis partibus utrisque, ad universæ Reipublicæ judicium provocatum esse, & Conventus contrarios duos, Andreoviam, & Lovitium, indictos, facilè judicium & sententiam tulisse, & finem controversiæ fecisse. Nam Andreoviam ex omnibus Regni partibus frequentem Senatum & Equestrem Ordinem coivisse. Lovicium verò paucissimos, idque ejus Schismatis pertæsos. Cæterum & planum omnibus in Polonia & Germania fuisse, & Majestatem Cæsaream diu & multum, an Regnum in hoc Schismate acceptaret

 deli-

deliberasse, & non accepturum passim ab omnibus affirmatum esse. Quod ipsa tarditas, & suscepti Regni, & Iurisjurandi præstiti, abunde confirmare videretur. Et interea alterum Electum & ad Regnum venisse, & Regno potitum, & Reginam Regni Infantem Vxorem duxisse, certum argumentum esse, & divinæ voluntatis, & concordis utriusque partis in hoc sententiæ, ut qui prior in Regnum veniet, pro Rege susciperetur. Quod Stephanus & jam venerit, & Diademate Regio insignitus sit, & Cæsarea Majestas suis rebus ipsa per se, quasi volens, & prudens, defuerit. Qua de re ipsa etiam, ipsos Cæsarianos cum Cæsarea Majestate expostulasse, & si Stephanus ante quartam diem Aprilis prior Imperatore venerit, se unà cum aliis ejus Majestatem agnituros, Fratribus contrariæ partis scripsisse. Vnde manifestè constaret suæ Cæsareæ Majestati Polonos nihil malitiosè, nihil insidiosè contra suam Majestatem fecisse: Sed hac ratione sibi, suæque libertati consulendum putavisse. Quod autem aliqui dicerent Stephanum Turcæ obnoxium esse, & aliquid ex eo incommodi Reipublicæ Christianæ accessurum, scirent, in Transylvaniam non ipsum hoc Ius primum intulisse, sed ita

ita à Majoribus accepisse. In Polonia verò cum Turca non alio modo, quàm antiquo Regum Polonorum more fœdera pacis servaturum esse. Orant igitur, jam sua Majestas Regno Poloniæ, quod in finibus Europæ, quod adversus Christiani nominis hæreditarios hostes positum, semperque in procinctu ac excubiis situm est, & suam hanc mediocrem felicitatem faveret, faverent & cæteri Ordines sibi ac Orbi Christiano tranquillitatem & pacem, non inviderent libertatem omnibus liberis Nationibus peculiarem. Quod si qui essent, qui prudentissimum Imperatorem Consiliis suis minus oportunis in medios tumultus & apertissima Reipublicæ Christianæ pericula conjicere nihil pensi haberent; Vtetur potius sapientissimus Imperator suâ prudentiâ & Iudicio, quo semper fuit maximo, & memor se in Summo rerum Christianarum apice, Patrem omnium esse; seipsum audiret, sibi similis esset, & privatam causam suam non tanti duceret, quanti salutem totius Orbis Christiani. Non enim, si secus fieret, non possent Poloni, nisi pacem suam, & Statum præsentem Patriæ suæ, suasque libertates, vitâ etiam ipsâ chariores, modis omnibus tueri, ac defendere. Conquesti etiam sunt nomine publico de capti-

captivitate Andreæ Comitis Gorcani in Silesia à Corozbachio, & nece Gnojevii ab Humienio Hungaro factâ, rogantes jus reddi injuriam passis. His & multò pluribus verbis cum sermonem suum Nuncii Polonici, attento & nihil mutante vultum Imperatore, peregissent, per Cancellarium Cæsar respondit, se multò diversa ab aliis, qui Cæsaream Majestatem Regem Poloniæ renunciarunt, accepisse, & se suam Electionem legitimè, etsi non ab omnibus, certè à majore parte Ordinum Regni factam esse, ducere. Verùm in re tanti momenti se deliberare, & responsum clemens polliceri, De Gorcano, & Gnojevio Ius se dicturum via sua querentibus esse. Discedentibus à Cæsare Nuntiis Christophorus Zborovius petere à Cæsare audientiam cœpit; quo ad verba Nuntiorum illorum minus veritati consona respondere posset. Conversi ambo, & Crotosius quidem se vera dixisse, & dicere respondit. Solikovius se non disputandi, aut litigandi causa cum privatis venisse, sed ad solam Majestatem Cæsaream, dixit.

Responsum Imperatoris.

Zborovius apud Cæsarem sese Legatis opponit.

dixit. Igitur Cæsar, etiam cum quadam vultus asperitate, quæ tamen illi rarissima fuit, Zborovinm tacere jussit. In diversorium reversis ipsis, Zborovius Crotosium, missis ad eum tribus Nobilibus Polonis, ante Vrbem evocat, quod intellexerit eum sibi minari, habere se quid cum eo loquatur. Quibus ille, se ubique gentium Zborovio ad omnia paratum esse, modo prius Legationem quâ fungitur absolvat. Quæ res cum esset ad Imperatorem perlata, invidiam Zborovio conflavit, & Nuntiis ut esset pax in omnibus cautum est. Venerat à Summo Pontifice Gregorio XIII Legatus Vir magnæ authoritatis & prudentiæ *Cardinalis Moronus*. Hunc Nuntii adierunt, salutarunt, & cum eo egerunt, ut nomine Summi Pontificis paci communi consuleret; Cæsarem à Polonia armis petenda avocaret, & Regem jam coronatum Regno libero relinqueret. Cardinalis cum eos audiret, & multa præfatus de Summi Pontificis, ac sua in Poloniæ Regnum Nobile, benevolentia, & studio, deque

Et Crotosium ad duellum provocat.

Cardinalis Moronus mediator Polonorum apud Imperatorem.

deque Imperatoris bonitate, humanitate, prudentia, ac singularibus virtutibus, ob quas quodcunque Regnum præstantissimum eum potiùs sibi appetere Regem, quàm repudiare deberet. Tandem demiratus tàm crebras Regum mutationes, postremò de Rege Stephano, ejusque moribus, ac in primis Religione inquirere cœpit. Quem cùm Catholicum esse intellexisset, ac jam & animum per quosdam suos Nobiles, ac Medicum, qui Solikovium ægrotum sæpius adibat, præparatum habuisset; bono animo eos esse jubet, & ad omnia Regni Poloniæ commoda, & salutem procurandam, ac nationem totam complectendam, & fovendam, operam suam offert. Hinc alios adeunt, præsertim Cæsaris Consiliarios. Fortè fortunà orando apud Cæsarem Ordinum Imperii mentionem fecerunt, se nimirum ad eos etiam mandata suorum habere. Sed cum apud eos vel præsente Cæsare orandum esse intelligerent, illud magna cum injuria Imperatoris fore prævidebant: vel absente, &

& tum se, si non Germanorum, certè Polonorum ipsorum alterius partis, altercationi, & contumeliis expositum iri putabant. Ideo ad Imperatorem dixerunt, se eo libentius Ordines Imperii non esse adituros, quo majorem spem habeant, ejus Majestatem suâ prudentiâ nixam, hoc tale negotium, non in cujusquam voluntate aut judicio, sed in ipsius arbitrio sitam, optato & salutari exitu terminaturam esse. Quæ res ut Imperatori placebat, ita Polonis fuit utilis. Quid enim attinebat cum Ordinibus agere, quando in dies singulos, non cum aliis tantum extra Germaniam, sed etiam ipsis Germanorum Principum Oratoribus multa etiam secretiora consiliorum illorum arcana communicabat: Ex quibus hoc illis abunde constabat, Imperatorem quidem à Regno hoc aggrediendo haud illibenter supersedere posse: sed à Germanis Principibus, nè dignitatem suam Cæsaream posthaberet illi persuaderi, se omnibus auxiliis & opibus præsto illi futuros. Satis diu illum, & multa

Prudenter verò Ordines Imperii præteriti.

 susti-

ſuſtinuiſſe, tempus eſſe ignaviæ excutiendæ, & patientiæ tantæ aliquando imponendum finem. Cui ſententiæ etſi minus adſtipularentur Brandeburgenſes & Saxones: tamen quia in eo & dignitatem Cæſaream, & gloriam totius Germaniæ ac ſalutem verti putarent, quo fortunam inclinare videbant, eo & favorem ſuum dirigebant. Vilcopius Gallicus Orator, & Legatus Apoſtolicus Orationem habitam, imò omnium Italicorum Principum Oratores, habere à Nunciis voluerunt. Sed uni tantum eam deſcriptam dederunt, ita tamen, ut eam legi ab omnibus vellent. Cum Moſchis igitur Imperator fœdere facto, iiſquè per Lubecam dimiſſis, de vectigali & à Principibus ac Civitatibus comparando tractabant. Vbi Cæſarem Cardinalis compellaſſet, & bellum illi diſſuadere vellet, ſuſpectum ſe illicò Imperatori reddidit. Nuncii Poloni vocati ad Imperatorem, expediti ſunt, reſponſum illis ſcripto comprehenſum datum eſt, quod illi acceperunt eâ lege, ſi quid in eo contra men-

mentem Ordinum Regni, à quibus advenerant, invenerint, nè ea res Cæſaream Majeſtatem offenderet, quod tale reſponſum ad ſuos referre non poſſent. Quoniam autem indicio quodam ſecreto cognoverant, ſe non ſatis tutum iter in Patriam redeuntes habituros eſſe, literas paſſus ab Imperatore petebant. Sed Imperator ore ſuo reſpondit: Nihil periculi in ſuis ditionibus eis fore. Quod & factum eſt. Nam poſtea, eodem quo diſceſſerant die, in pago Ducis Bavariæ, tribus milliaribus à Ratiſpona, dicto Vatter, cum è navi ad noctem, nam per Danubium navi vehebantur, in Hoſpitium ſe recepiſſent, noctu coacta ingenti agreſtium multitudine mandato Cæſaris capti, & Lincium deducti, ibique in Arcis habitatione una per quatuor menſes concluſi fuerant, ſparſo rumore eos Turcas eſſe, qui nomine Bathory Imperatoris vitæ inſidias ſtruxerunt. Condolentibus hominibus qui eos videbant, neque autem, licet linguam Germanicam noſſent, licebat illis quenquam alloqui.

Dimiſſio Legatorum Polonorum ab Imperatore.

Capiuntur & incarcerantur.

loqui. Cum Nobilibus tamen Cæsareis Aulicis, qui eos cum armatis deducebant, graviter de violato in personis Legatorum Iure gentium expostulabant. Hujus rei initium à Polonis esse datum, cum Henricus Curczbachius, Orator Cæsareus ad Prutenos, ab Ernesto Vejero multis vulneribus affectus, captus, & spoliatus sit, de cujus etiam vita desperaretur. Quod si ille obierit, & ipsos non extra periculum esse, tradendos enim esse sine dubio in manus Braineri, ac totius familiæ Curczbachanæ. Quas eorum minas, etsi Poloni non multi faciebant, tamen dixerunt; Si quid Vejerus peccavit, habere eum suum Principem, qui de eo jus dicturus esset: Si verò pro Vejero pati innoxios, idque Oratores publico nomine, non ad alium quenquam privatim quàm ad Imperatorem ipsum missos, & longe in hoc Curczbachio superiores, qui ad Gedanenses in rebellione confirmandos, non autem ad Regem Poloniæ, vel ad Senatum aut Ordines Regni missus abiisset, sibi igitur impu-

Excusant factum Aulici.

At absque ulla justa ratione.

putaret, aut aliquis alius ejus injuriæ, si quæ injuriæ, esset author quærendus; non ipsi, qui optima fide in negotio publico totius Reipublicæ Christianæ versati essent. Erat tum Lincii Præfectus Losensteinus, vir senex, & probus, & non lubenter in suâ custodiâ Polonos habebat. Frater etiam Solikovii Sigismundus Viennæ, Laski Samuel Glocy cum literis ad Regem, Gorgovius Pragæ, Familiares Solikovii quos variis itineribus terra præmiserat capti fuerunt. Ordines Superioris Austriæ, quæ est supra Anasum, qui singulis mensibus judiciorum causa Lincium conveniebant, & in arce epulum sumebant, Polonos viserunt, & cum eis collocuti ad Imperatorem bis literas dederunt, rogantes ut dimitterentur. Bonam enim sibi vicinitatem cum Regno Poloniæ necessariam; dissidium autem & bellum, quod absit, valde periculosum esse. Captivi in Poloniam Regi Stephano & Senatui scripserunt, quæ tamen prius ad manus Imperatoris literæ eorum missæ fuerunt; se Ratispona

Austriæ Ordines pro Legatis Polonorum intercedunt.

à Cæſare benignè dimiſſos, ſed in itinere captos; Lincii in Arce captivos detineri: nullâ aliâ de causâ, quàm, uti fertur, ob Curczbachium captum, aut potius donec eorum conſilia de Regno matureſcerent. Se quidem è captivitate liberari ocius cupere; verùm quicquid Rex cum Senatu in rem, uſum, & ſalutem Reipublicæ faciendum decreverit, ſe omnia pro Rege & Republica pati, & fortiter ferre paratos eſſe. Interea Imperator languere cœpit,& res quidem, ac conſilia procedebant. Sed Vxor Imperatoris, fœmina prudens, omnes undequaque literas ad Imperatorem miſſas ad ſe recipiebat; neque, nè Imperatori malè valenti animi dolorem afferrent, eas ipſi præſentari aut legi volebat. Ergo accerſitus Rudolphus Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, ad Parentem, nomine ejus ſemel atque iterum, in conſilium cum Ordinibus Imperii deſcendit. Vbi cum eſſet iterum ingreſſus nuntius illi de morte Imperatoris Patris allatus, ab Ordinibus, & conſolationis & Imperatoriæ

riæ dignitatis gratulationis occaſionem dedit. Itaque è curia Imperator ſalutatus deſcendit. Iam & in Polonia vivente adhuc Imperatore Archiepiſcopus Vchanſchius, authore & ſollicitatore aſſiduo Karnkovio Epiſcopo Vladiſlaviæ, cùm à Maximiliano tardiſſimè res explicarentur, ut ſolet fieri in re cujus auſpicium non eſt à Divina voluntate, profectus ſe Regi ſubdidit, & ad eum Varſaviam venit. Quod ei peroportunè cecidit; Rex enim jam jam Bolemonio Lovitium pedites ſuos Hungaros mittebat. Cum Karnkovius Epiſcopus, qui tum cum Rege Varſaviam proficiſcebatur, miſſo ad Archiepiſcopum Alberto Solikovio, qui tum Archiepiſcopi familiaris erat, eum de præſenti periculo admonet, & melius etiam, quod in hac animi obſtinatione mortem Imperatoris non expectavit. Nepoti tamen ejus Paulo Vchanſcio non ſatis placida fuerunt initia Regis agnoſcendi; Etenim cum pluribus comitatus peditibus armatis Varſaviam veniſſet, nequè Regem longo

Archiepiſcopus Gneſnenſis ad partes Regias accedit.

go tempore vidiſſet, & non pauca de eo à Rege alieniora ad Regem perferrentur, aliquot ejus pedites comprehenſi, & in vincula conjecti ſunt. Quos ut herus liberaret ad Regem acceſſit, & de injuria ſibi illata vehementer conqueſtus, vehementer etiam reprehenſus; poſt correctionem ſuam implevit, & fecit reverenter, quod alii fecere libenter. Interea etiam & Kurczbachius captus Regi ſiſtitur, & data ſcripta ſponſione de liberandis Regni Nunciis, & Gorecio Palatino Siradienſi Lanckoronenſi Vicecapitaneo qui in Arce quadam captus tenebatur, Erneſto Vejero ad Imperialem Cameram non evocando. Quod ſi non perfeciſſet, ſe rurſum Regi Stephano ad Feſtum Sancti Martini ſiſtere debuit. miſſus æger animo & corpore, Ratiſponam reverſus ad Imperatorem Rudolphum, literas dimiſſionis Nunciorum Lincio obtinuit, quas per ſuos amicos miſit, ipſique Nuncii XXIX Octobris ex Arce in Civitatem dimiſſi, & tandem in Poloniam, inde Torunium ad Regem

Legati Polonorum ex carcere dimiſſi.

gem Comitia celebrantem pervenerunt. Maximiliano Imperatore morte ex hac vita ſublato, Rex Stephanus indubitatus Rex omnia pro voto, jure optimo habere debebat. Sed licet ventus conquieverat, tamen fluctus nondum reſederant. Etenim Gedanenſes partes Imperatoris ſecuti, licet jam neceſſitas ipſa eos Regem Stephanum agnoſcere cogeret, tamen quia aliquas conditiones à Rege obtinere cupiebant, non tàm facilè ejus Imperium agnoſcere volebant. Vnde velut inviti ad obſequium adducerentur, quando ſponte nollent, & temerè rebelles pacem Regni turbarent, hæc Regni Comitia Torunium fuerunt indicta, quæ tamen bonum ſucceſſum non habuerunt. Nuntii enim Terrarum, ſeu quod Rex quibuſdam pactis conventis non fecerit ſatis, ſive novis quibuſdam moribus & peregrina facie rerum, præſertim in præſidio pedeſtri ex Hungaris conflato, quod rapacitate ſua omnibus moleſtum erat, & Hungaris compluribus plurimum gratia ejus valentibus offenſi, ita

Gedanum Regem agnoſcere recuſat.

Comitia Thorunenſia abſque effectu.

Comitiorum tractatus de die in diem traxerunt, & nunc hoc, nunc illud causantes, nunc cum Ecclesiastico statu litigantes, ut elapso Comitiorum præscripto sex hebdomadarum tempore rebus prorsus omnibus infectis, ex Comitiis primis, post Regis Coronationem, cum magno dolore & verecundia Regis discessum sit. Cujus indicium fuit Oratio nomine Regis ad Senatum & Ordines cum lachrymis à Ioanne Zamoyscio, Regni jam tum Vicecancellario, facta. Crotosius etiam & Solikovius, cum viderent non omnia adhuc integra Regi cum populo & subditis esse, brevibus legationis suæ, & sine omni offensione Cæsarianorum, finem fecerunt: & ut juxta suam pactionem Henrico Kurczbachio relictam, res, literæ, pecunia, & monilia ejus ipsi remitterentur, orarunt. Deo & Regi suam captivitatem, & pericula pro Patria suscepta commendantes. Hoc tempore Franciscus Krassinius Episcopus Cracoviensis, missis ducentis ad Regem cum Stanislao Pekoslavio

lavio peditibus ex hac vita migravit, Optando ut aut nunquam Episcopus fuisset, aut nunquam confœderationi Hæreticorum subscripsisset. Qua de causa etiam suum funus non Cracoviam deduci, sed Bozecinii sepulturæ mandari voluit. Episcopatus datus est Petro Myskovio Episcopo Plocensi, præterito Karnkovio Wladislaviensi, qui eum Episcopatum bono zelo, juvandæ Ecclesiæ atque Academiæ restaurandæ, desiderabat. Quod studium suum, cùm per Solikovium Regi aperuisset, Rex se eum Archiepiscopum esse malle respondit, tum Ecclesiæ, & Reipublicæ, tum suæ dignitatis causa. Æquum enim esse, ut qui Regi Coronam imposuisset Episcopus, demum Archiepiscopus esset, & sua dignitate Regiam etiam stabiliorem efficeret. Episcopatus autem Plocensis Petro Volscio Cancellario Regni cessit. Ibidem, Karnkovio Episcopo authore, cum Rex à Clero subsidium propter instantes necessitates aliquot peteret, concordi Episcoporum & Cleri tunc

Quare Rex Karnkovium in Episcopatu Cracoviensi præterierit.

præſentis voluntate Synodus Provincialis decernitur. Ad Vchanski Archiepiſcopum Gneznenſem Solikovius mittitur, idque ut ab eo confirmaretur nomine Epiſcoporum & Regis obtinet. Quem etiam Epiſcopus Vladiſlaviæ ulteriorum conſiliorum cauſa adiit; in ſpem ſubſidii Eccleſiaſtici. Rex cum fruſtra cum Internunciis Gedanenſium Thorunii tractaſſet, bellum Gedanenſibus indicit, & tum ſuis tum Polonis militibus collectis, etiam voluntariorum aliqua manu collecta, ad oppugnandum Gedanum ſe comparat, & tandem comparatis omnibus, quæ ſatis eſſe putabantur, ad Vrbem accedit, & caſtra in Stolzembergo ponit. Interea menſe Aprili Petricoviæ Synodus Provincialis celebratur, & feliciter abſolvitur, Ex qua ſubſidii Regi promiſſi colligendi Epiſcopo Vladislaviæ cura committitur. Donativum ab Archiepiſcopo, Wladiſlvienſi, Plocenſi Epiſcopis Solikovius, & Hieronymus Povodovius iſtic idem Regi jam Caſtra ad Gedanum habenti adferunt. De gravaminibus

Bellum Gedanenſe.

nibus & injuriis Eccleſiaſticarum & Cleri Regem edocent. In quibus tollendis Rex ſuam opem & operam prolixè Ordini Eccleſiaſtico defert, & tandem oppugnationem Gedani, ſpe uberioris ſubſidii ex ipſa contributione, continuat. Sed cum Gedanenſes, Salvos Conductus toties ac toties peterent, ac Rex precibus concederet, illi vallum in dies erigere, ſeſeque munire, & navibus etiam novis præſidiiſque ſibi ex Germania comparatis in animos & audaciam erecti vim vi repellere, ſeſeque defendere non deſtiterunt. Quæ res cum Regi non procederet, communicato cum Conſiliariis qui tum aderant Conſilio, præſertim Petro Zborovio Cracovienſe, Ioanne Koſtka Sendomirienſe, Ioanne à Stuzevo Breſtenſe Palatinis. Inprimis autem Epiſcopi Vladiſlaviæ conſilio Convocationem anno CIↃ IↃ LXXVII Vladiſlaviam edixit, licet ipſo Epiſcopo ægre ferente, & oppreſſionem Colonorum, quæ tamen non erat evitatâ, prævidente. In qua Convocatione decreta fuit Contributio Regni ex ſingulis

 la-

laneis vicenum grossorum, indictis eam in rem in singulis terris & Palatinatibus particularibus de more conventibus. Reliquerat in Polonia Rex Henricus argentum mensæ suæ, & Aulæ pretiosa, parietum papiliones, lectos, vestes, eorum bona pars Ioanni Comiti Tenczynio Cameræ Regis Præfecto, à quo hæc tota supellex asservabatur, ab Henrico Rege fuit donata. Altera pars argenti Guidoni Fauro Pibiaco Consiliario in satisfactionem damni ad Soluturnum accepti assignata ab illo Rege cum esset, ejus repetundi causa ejus Secretarius in Poloniam venerat, cum literis Regis Henrici, & Reginæ Matris, ad Proceres quosdam, & ad Regem ipsum, amicè, licet sine titulo compellatum. Quod argentum Rex Stephanus, Tenczynio scribens, unà cum rebus aliis mandavit Regi Henrico reddi. Reginæ Epistola ad Solikovium continebat verba hæc: Si Regem vobis Filium nostrum retinuissetis, & vestræ & nostræ res loco meliore essent. Secretarius Gallus cum in Galliam supellectilem auferret, metuens nè Creditores in eum involarent, noctu eam Cracoviâ evexit, & cum in Gallias pervenisset, malam Regis gratiam, quod occultè discessisset, inivit: Supellex etiam ipsa, ut tapetia, & vestes, tota pluviis & aquis corrupta periit, & nulli usui remansit. Dum hæc aguntur, & Rex obsidionem continuat ad Dersoviam, aliquot Gedanenses militum millia cæsa à Regiis nunciantur. Quin & secunda ad Lubissow magna victoria Duce Ioanne Zborovio secuta est: ita ut duodecim millia Germanorum cæsa sub Duce Colnovio, ipseque ferè portis Vrbis Gedanensis turpiter exclusus: plurimi vivi capti sunt. Sed hanc mediocrem felicitatem major tristitia conturbavit. Etenim occupato Rege bello Gedanensi, Moschus cum ingenti exercitu in Livoniam ferè inopinato advenit, & Magno Holsatiæ Duce, Regis Daniæ Fratre Arcibus, quæ is Regis Livoniæ titulo, & appellatione usurpata invito Rege Poloniæ, & ipso Duce Moschoviæ, cujus Sororem in Matrimonio habe-

Supellex Regis Henrici extrahitur.

Prælium ad Dersoviam & Lubiszow.

Moschus interea Livoniam occupat. habebat, & cujus nomine id facere se Moscho profitebatur, excluso; omnes ferè Arces Livoniæ, excepta Riga Vrbe, & Ducatu Curlandiæ intra sex hebdomadas occupavit. *Et Tartari Volhiniam vastant.* Et eodem ferè tempore Tartari Volhiniam vastarunt. Quo nuntio accepto Varsaviam Comitia indicta fuerunt. Res nefanda & miseranda Vendæ, tum cum Moschus eam oppugnaret, accidit. Concurrerat magna pars Nobilitatis cum Vxoribus & liberis Vendam, & cum in Arce viri consilium haberent, Vxores etiam eorum Virorum consilia accusarent, quod Regi Poloniæ fidem non servarint, & Regem sibi novum Danum Generum Moschi, hominem imbellem & consilii inopem, stulte & temerè creaverint; *Clades Vendensis.* Et quoniam, inquit una earum Nobilior & Generosior, jam cervicibus & pudori nostro trux & impurus hostis imminet, cum nulla spes salutis, nulla honestatis superfit, præstat honestè mori, quàm turpiter aliquantum vivere, & tandem tamen mori: Sic pugionem pectori adegit, Altera vero

verò currens, subjecto pulveri tormentario, qui sub Palatio fuit igne, totum illud ædificium cum omnibus, quotquot intus erant fæminis, virginibus, pueris, evertit, & in altum ejecit, una earum Virgo flammis illis sursum ejecta medio ab Arce milliari trans fluvium aquæ, Gavia dicitur, incolumis & illæsa inventa est. Sic potitus Venda Moschus in Viris earum omne genus crudelitatis exercuit. Similiter & Wolmariæ in cujus Arce Dux Polubienski senex erat, & jam Moscho jubente eum ad se educi ardente porta per fenestram sporta dimissus ipsi præsentatur. Omnes Nobiles Livones ex oppido & Arce educti ipso in campo in tentorio sedente, tale inter eos judicium, & cambium fecit. Qui, inquit, fuerint Regis Poloniæ partium, eant in hanc partem. Qui Ducis Magni Dani partes secuti sunt, eant in alteram. *Moschi crudele stratagema.* Ita illi dubii in utraque parte salus vel mitior pœna esset futura, ut cuique in mentem venit ad eam partem concedebat. Cum separati ad invicem essent, eos

 om-

omnes qui se Magno Dano addixerant in oculis suis decollari jussit. Qui verò Poloniæ Regi adhærere se profitebantur, ommnes in Moschoviam abduxit. Quorum tamen multi alii per Kijoviam, alii eodem itinere in Livoniam postea reversi fuerunt. Non dissimili crudelitatis & Stratagematum genere & in aliis locis usus est. Habebat Ioannes Chotkievicius Castellanus Vilnensis in Livonia Administratores, quos postea Leopoli deposuit Mathiam Dæbinski, Ioannem Beringum, Suchodolscium, Mlodasium, Ruciatam, Viros militares, qui postquam Chotkievicium certiorem reddidissent, à Magno Duce & Moscho occupari arces Livoniæ, se non esse tanti qui resisterent, celeritate & subsidio magno opus esse, atque ea de re Chodkievicius Regi perscripsit. Ipsi prima nocte Vendam scalis admotis silentio ingressi; Moschicum præsidium inde ejecerunt, & ipsi eam melius, quàm antea muniverunt. Sic & Biringius ipse septem arces, intra quas sunt præcipuæ Troidena, Burt-

Poloni Arces Livonicas intercipiunt.

Burtnicum & cætera intercœpit. Moschus cùm dejecta sua ex Arcibus ferè undecim præsidia cognovisset ad earum præcipuam Vendam numerosum exercitum misit: qui cum prope mœnia Civitatis Venden castra locasset, milites Poloni, Lithvani & Germani cum Andrea Sapiha, qui locum tenebat Alexandri Chodkievicii Campiductoris Lithvaniæ in Livonia. Is autem tum morbo correptus, extinctus fuerat, vocatis etiam ad se Suecis, qui non procul cum aliqua militum manu fuerunt ab oppugnatione Vendæ, Moschos anteverterunt, & ita feliciter in eos impressionem fecerunt, ut iis terga vertentibus castra etiam sua prætervectis, victoria nostris indubitata cesserit. Illi passim per agros fusi, cæsi, victi sunt, ut etiam hodie ex costis & craniis eorum albicantibus *albus campus* dicatur. Castra eorum direpta, tormenta omnia ablata, quæ in magno numero, & spectabilia quidem ad Arcem Vilnensem, advecta sunt. Andreæ Sapihæ, cujus auspicio res gesta fuit, gratiæ à Rege actæ, sed

Victoria Andreæ Sapihæ de Moscis.

 non

non evasit tamen quorundam invidiam, cui postea cedens Stanislai Dembinii Chencinensis Capitanei filiam Vxorem in Polonia duxit, & non paucis annis relicta Lithvania in ea mansit. Iasienius Secretarius ejus gener fuit. Interea verò è Germania, Saxonia, & Brandeburgenses Oratores ad Regem Mariæburgum veniunt, & de pace Gedanensibus concedenda agunt. neque suam rem interea negligunt. Augustus enim Saxoniæ Dux ac Imperii Elector pro consobrino suo Georgio Friderico Duce ab Anspach & Carnovio ad Regem intercessit, ut illi in Alberti Friderici Brandeburgici in Prussia Ducis, læsa valetudine Gubernatori pro suo communi cum ipso Feudo esse liceret. Quod utrumquè negotium ita conjunctim tractatum est, ut & Rex Gedanensibus reconciliaretur, & Duci Anspachio gubernatio Prussiæ esset promissa. Quæ ut ad effectum commodè perduceretur: Andreas Firlejus Lublinensis, Petrus Potilicius Premetensis Castellani, & Ioannes Demetrius Solikovius

Gedanum Regi reconciliatum.

Et Ansbachio gubernatio Prussiæ concessa.

kovius

kovius Vladislaviæ & Lanciciæ Scholasticus in Ducalem Prussiam ad Ducem, Ducissam, Consiliarios & Ordines Terræ illius à Rege missi sunt, ut cum iis de Anspacho suscipiendo agerent. In qua re perdifficiles Prutenos invenerunt, neque erat quispiam ex eis, qui non potius Polonum quempiam è Senatu à Rege dari sibi gubernatorem mallet, quam Anspachum ipsum, quem propter avaritiam, & aliorum in Franconia subditorum oppressionem invisum habebant. Quo ut carerent offerebant in thesaurum Regni singulis annis centum millia aureorum Hungaricalium. Cernentes igitur eorum lachrymas, & preces Poloni præsertim Ducissæ Filiæ Ducis Clivensis Vxoris Ducis Alberti Friderici, declarata quidem Regis voluntate, de Gubernatore Anspacho ad Comitia Regni, petentibus Prussis negotium distulerunt. In quibus tandem Comitiis omnibus modis & Regi & Senatui persuadere conati sunt, sed frustra, ut Prussiam sibi, gentique Polonæ gubernandam ser-

Invitis licet Prussis.

va-

varet, nec in manus alienas traderet. In his Comitiis anni CIↃ IↃ LXXVIII Regni Tribunal Iudiciorum generalium Petricoviæ & Lublini ſemper futurum inſtitutum eſt, & ad cauſas Spiritualium Seni viri deſignati. Nuncii Ducis Alberti, in Pruſſia & Ordinum Internuntii cum ad Comitia veniſſent, non ſolùm majore Senatus parte factum non probante, & Nunciis proteſtantibus, ſed & ipſis Pruſſis cum lachrymis deprecantibus Rex tamen Anſpacho inveſtituram dedit: Vexilloque Pruſſiæ illi tradito non ſolum Gubernatorem, ſed etiam Ducem Pruſſiæ (cum hactenus Rex ſolus Dux Pruſſiæ, Dux autem, Dux in Pruſſia vocaretur) creavit, & fecit. Cujus rei fructum quem poſtea Reſpublica tulerit clarum eſt. In his Comitiis Sigillum Regni majus à Petro Wolſcio Plocenſi Epiſcopo depoſitum. Ioanni Zamoiſcio. Minus verò poſt Zamoiſcium Ioanni Borukovio Præpoſito Lancicienſi, & multis annis Secretario; ægre id ferente Secretario majore Hieronymo Rozdrazovio,

Iudicia Regni Tribunalitia inſtituta.

Iohannes Zamoiſcius ſupremus Regni Cancellarius.

vio, datum eſt. Paulus etiam Vchanius nomine Regis & Regni ad Summum Pontificem Gregorium XIII cum obedientia Orator deſignatur, qui Romam ſecundo anno pervenit. Et cum id Rex & Pontifex ægrius ferrent, Petrus Duninus Wolſcius Epiſcopus Plocenſis ei ſubmiſſus fuit, Vchanius tamen obedientiæ Ceremoniam abſolvit. Wolſcius de aliis rebus cum Pontifice agebat. Miſerat quoque ad Moſchoviæ Ducem Rex Oratores Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Staniſlaum Kriſcium Palatinum Mazoviæ, Michaelem Araburdam, & Scuminum, qui à barbaro inhumaniter accepti fuerunt, à quibus vi, & minis fuit extortum, ut in triennales inducias conſentirent, quod Moſchus eo conſilio faciebat, quod diſtractis ſuis ad Arcium in Livonia occupatarum præſidia militibus ad gerendum aut depellendum bellum minus virium ſe habere ſentiret. Quietem igitur aliquam nactus durantibus induciis, & ſeſe colligere, & armare, & ſibi vires comparare velle vi-

Orator ad S.S. Pontificem Vchanius.

Oratores ad Moſchum malè habiti.

videbatur. Quo facto Rex vehementer offendebatur. In Comitiis igitur illis de bello Moſchis inferendo ac Livonia recuperanda decretum eſt, ex Laneis contributio biennalis in uſum belli Moſchici ſingulorum florenorum impetrata eſt. Ex Civitatibus etiam ac oppidis, item mercibus domeſticis & peregrinis vectigal inſtitutum. Advectus erat Varſaviam *Ivvan* quidam *Podkovva* Moldavus, qui Petrum Palatinum Moldaviæ, collectâ militum Niſoviorum manu Principatu deturbaverat, & occupatâ Moldaviâ, eam ultra menſem non diutius obtinuit. Nam cum milites ab eo recedere vellent, quod pecunia quam illis daret deſtitutus eſſet, maluit relicta Moldavia cum illis iterum reverti: qui poſtea à Iohanne Zbaraski Palatino Braſlaviæ interceptus, ad Regem fuit miſſus. Cæſar Turcarum Petrum pulſum videns loco illius Ianculam quendam Saxonem, uti ferebatur, qui ducta Cyprea Vxore, opibus plurimum valebat & Baſſas muneribus corruperat, Moldaviæ Palati-

Ivan Podkowa.

latinatui præfecit. Rex triplici moleſtia fuit affectus. Primum quod contra pacem Tyranno promiſſam Podkowa ex Podolia egreſſus ejus ditiones laceſſiverit: inde quod Petrum Amicum, & ſibi bonum & fidelem vicinum pulſum, & mutatum intelligeret: poſtremò quod Ianculam hominem ſibi infeſtum, & inimicum in Moldavia Principem eſſe factum audiret. Itaque iis rebus iratus Podkowam ſupplicio afficiendum decrevit. Quod cum in Comitiis facere non poſſet, propter crebras & vehementes Nuntiorum Equeſtris Ordinis pro illo interceſſiones, quæ tamen apud eum locum non habuerunt, denuo illum Leopolim vinctum remiſit, ubi poſtea juſſu ejus capite plexus eſt, omnium ferè hominum dolore & non exiguo apud exteros exiſtimationis Regiæ detrimento, erat enim Vir procerus, bene formato corpore, & tantis viribus corporis præditus, ut inter digitos equorum ferreas ſoleas frangeret. Peractis Comitiis Rex Leopolim profectus eſt, ut antequam bellum

Capitis ſupplicium ſubiit.

O cum

cum Moſcho ſuſciperet ſecuritati, & paci illarum partium conſuleretur. In Turciam miſſus Ioannes Thomas Drohojevius, in Tartariam Martinus Broniovius. Et quoniam de Contributione ſciſcenda in Comitiis Regni duo Palatinatus Sendomirienſis, & Siradienſis non aſſenſerant, quod ſibi eam ad rem mandata defuiſſe dicerent (vel quod veriùs in rebus aliquibus voto potiti non eſſent) Rex Sandomiria ad utrumque Palatinatum Nuntios ſuos miſerat, per quos in Conventibus eorum particularibus Nobilitatem ad uniformem conſenſum cum toto Regno adduxit. & tum primum Leopolim ingreſſo Rege univerſales literæ contributionis ad Regni Capitaneos miſſæ fuerunt. Miſerat etiam Leopolim Commiſſarios Ioannem Tarlonem Palatinum Lublinenſem cum aliis ad Milites Niſovios, adjunctis etiam Inſtigatore & Miniſteriali, qui eos citaret, præſertim qui patroni eorum eſſent, ut illic in re præſenti, de pacis turbatæ, & Moldaviæ occupatæ authoribus, & adminiſtris ſup-

ſupplicio capitali animadverterent, ſed illi re infecta, nulla mora interjecta redierunt. Fuit & Czauſius apud Regem, qui de Palatino Braſlavienſe, & Philone Kmita viro militari conquerebatur, quod in eorum Oppidis finitimis ingens multitudo talium Kozakorum, qui ditiones Turcicas vexent latibula, & receptacula ſua habeant. Qui ſi eos non foverent, vel defenderent, ac patrocinium ſuum illis præberent ſine dubio pacem in finibus haberent. Qua de cauſa ad Iudicium Regis Leopolim citati fuerunt. Qui ad tales accuſationes, quæ per Inſtigatorem contra eos proponebantur; reſpondebant quidem, ſed magis per exceptionem, quàm judicium approbando ſe ſibi bene conſcios eſſe, verùm tamen ut magis ſuam Regi innocentiam probarent ſe non repugnare, quo minus omnibus modis in eorum oppidis de ejuſmodi hominibus juridica ſeu injuridica fiat inquiſitio. Quæ cum eſſet quidem à Commiſſariis facta, vix unus & alter homuncio inventus eſt, qui

Czauſius Turcicus apud Regem.

Rex Leopoli Iudicia exercet.

qui reus esse convinceretur. Habebant quoque Armeni Leopolienses cum Civibus coram Rege litem quod non par eorum haberetur ratio, & Cives id antiquis Regum Privilegiis sibi licitum esse, & prærogativa hac licere uti, quod Armenis Schismaticis in foro domos habere, minutim pocillamenta vendere, sed preciis merces suas distrahere tantum non permittant. Quæ res à superioribus Regibus caute considerata fuisse videbatur propter nimias Armenorum opes, quas ob linguæ cum Turcis communionem assiduâ negotiatione sibi comparantes, totam brevi Civitatem exequatis eorum cum Civibus Catholicis Iuribus, è Catholica Schismaticam magno Regni periculo efficere & occupare possent. Sed Armenis fortuna arrisit, atque Civibus Armeni decreto Regio exæquati sunt: Peregrino Rege, uti multi mussitabant, non ita curæ habente indigenarum Iura, quantum fortasse, vel propriam utilitatem, vel eorum qui Armenorum causæ patrocinabantur favores.

Armeni exequantur Civibus Leopoliensibus.

Man-

Mansit Leopoli Rex à Festo Corporis Domini usque ad finem Septembris jus dicens. In qua versatus erat universim, sed sæpius in dicenda sententia æqualitatem peregrinam inducebat. Et in quadam causa cum se Capitaneus Leopoliensis Herburtus à Iudæo ad Regem citatus ad forum proprium exciperet, asperius respondit, & Capitaneum & Iudæum suum esse, respondeat igitur hîc. Quod tamen à multis justitiæ studio ascribebatur. Infra octavas Corporis Domini rumor de Tartaris Podoliam vastantibus allatus est, qui damnis aliquibus factis retrocesserunt, & Rex stipendia militibus dari ac Braslaviam, Chmielnicum, & Vinniciam cum Nicolao Sieniavio Campiductore eos misit, ut est nostri moris, non nisi post tempus. Non minima jam se indicia amoris Regii erga Zamoiscium Cancellarium prodebant, cum cæteris Consiliariis sensim, & sensim neglectis ei se in omnibus aperire, & sententiam ejus per omnia sequi apertè ostenderet. Quam ille fortunam suam etsi

Zamoiscius intimus Regis Consiliarius.

 mo-

moderatius ferre videbatur, tamen quò magis illa crescebat, eo magis invidia contra eum vires sumebat: Cui ut non cederet cum magnis viris & Senatoribus, ut Ioanne Kostka Sandomiriensi, Petro Zborovio Cracoviensi, Nicolao Mielecio Podoliæ, Palatinis non dissimulanter inimicitias gessit. Provisa igitur utcunque cum Turca & Tartaris pace & licentia hominum finitimorum quos Kosacos appellant nonnihil compressa, illisque Orzysovio Præfecto assignato ubi eorum usus major appareret. Rex Leopoli Cracoviam, quo Senatores Regni convocarat, se contulit. Quo Karnkovius Episcopus & non pauci Senatorum convenerunt. Eo ad Regem Nuncii Ducis Moschoviæ venerunt, cujus inhumanitate Nunciis suis exhibita Stephanus Rex offensus, eos quidem apud se legatione fungi permittit, sed cum paulò superbius Regem salutare ipsi Regi viderentur neque tamen quicquam præter morem facerent. Rex relicto more Regum Polonorum, qui assurgentes è sella pro-

propria; quomodo valeret Magnus Dux frater suus quærere solebant: id non fecit: sed tantum Wolovicio Lithvano Vice-Cancellario mandavit, ut ex eis de valetudine Magni Ducis quæreret. Offensi Moschi de non honorato suo Principe & more non servato legationem bis terve admoniti prosequi noluerunt. Itaquè in hospitium remissi, tandemque etiam Brestæ sub custodia habiti sunt. Et Rex nova superbia hostium iratus jam acrius de bello cum Moscho gerendo cogitare cœpit. *Occasio suscepti belli contra Moschos.* Et quoniam uno anno illud finiri posse dubitabant præsertim in tanta vastitate provinciarum in quibus bellum gerendum esset. Communicato cum Regni Consiliariis consilio etsi multis id consilium non probantibus ad omnes Palatinatus literas misit, quibus significabat belli hujus à se jam suscepti, & necessitatem & durationem, & magnitudinem, petens ut de augendo stipendio cogitarent priusquam se ad ipsum bellum conferret. Sed omnibus res visa est maxime suspecta, & ingrata, pro-

propterea quod in biennium jam jam ſcita in Comitiis fuiſſet contributio. Igitur Rex coactus eſt, eſſe jam conceſſa contributione contentus, eo quod fuit in manibus ſubſidio aggrediendum Moſchum ſibi, animo infracto decrevit. Et per Natalem Domini negotiis Regni, & Iudiciis vacans. Cum etiam *Czecotka* Civis potens, & invidioſus apud eum peculatus accuſaretur, ſed tamen non probaretur, condemnatis ejus licet juſtis, tamen imparatis excuſationibus. Argentum Regium quod militibus à Senatu miſſum, diſceſſu Regis Henrici aulici interceperant, & uſque ad illud tempus in manibus fuit Ioannis Thomæ Drohojevii Capitanei Præmyſliæ primum Cracoviæ Regi fuit datum, hoc errore Aulæ, quod antiquus eſſet diſſimulato. Fuit etiam ibidem gravis controverſia coram Rege Hæreticorum Cracovienſium, quorum capita fuerunt Przyleski, & Strzala cum Rectore Academiæ Cracovienſis; qui tunc fuit Iacobus Gorſcius, & Profeſſoribus omnibus de direpta domo eorum,

Czecotka.

Actio diſſidentium contra Academicos Cracovienſes.

eorum, quæ *Acervus* appellatur, quam Concionum cauſa frequentabant, cujus rei culpam in ſcholares rejiciebant, Oratione inſtructa Kneſſius Lukomski adoleſcens Lithvanus diſcipulus præceptores ſuos incuſabat, ac reos tumultuum agebat. Qui tamen quod bono ingenio eſſet, & virtute ſingulari factus eſt poſtea Catholicus. Qui tumultus quia interregno declarato acciderat, & jam etiam de aliquibus miſeris perſonis ſumptum erat, fortaſsè innoxiis, ſupplicium, non ſine miraculi cujusdam ſingularis ſpecie omnibus è foro nemine perſequente fugientibus, res viſa eſt omnibus injuſta, bis eam judicari, & Scholares antea immunes inventos nunc denuo tanquam reos agi. Ordinatio tamen Cracoviæ pacis publicæ causâ fuit à Rege inſtituta & relicta, nè dum bellum foris geritur, domeſtica pax diſſidiis perturbaretur. Rex Cracoviâ Varſaviam ad feſtum Purificationis, & tandem in Lithvaniam venit, Grodnæ Conventu Conſiliariorum facto omnia illi apud eos pro voto ſucceſ-

Grodnenſis Conventus.

ferunt, præter enim Contributionem in Comitiis Regni decretam, etiam Nobiles universi & voluntarii Principes plurimi suis copiis, se Regi ad bellum suam operam detulerunt. Et cum variæ variorum essent sententiæ: num Wielkolukum aut Pleskovia, aut Polocia armis primò petenda esset. Zamoiscius Cancellarius post omnium sententias censuit proxima petenda esse juxta vetus dictum in Civilitate morum, proxima te cape, nimirum Pollociam, quæ ante annos decem & septem Sigismundo Augusto Regi, surrepta à Moscho fuerat. Hujus belli exercituum supremus Dux fuit à Rege datus, *Nicolaus Mielecius* Palatinus Podoliæ, qui munus ad se delatum suscepit quidem: sed cum potestatem suam quæ in bellis apud Polonos est Summi exercituum Præfecti summa, partitam cum aliis, ac ea de causa debiliorem esse factam intelligeret. Nicolaus enim Radivilus Palatinus Vilnensis Lithvanis. Gaspar Bekesius Hungaris, qui paulò ante reconciliatus ad Regem venerat

In quod Bellum Moschoviticum decretum.

Nicolaus Mielecius Dux belli.

Præ-

Præfectus erat. Non satis æquo animo cum functionem postea sustinebat, quod ex varietate Ducum exercitus disciplinam militarem & omnem ordinem administrandi belli laxiorem, & turbatiorem fore prævideret, quod & postea ita factum est. Rebus igitur omnibus ad bellum comparatis, & dimissis Moschicis Nunciis, missisque ad Moschum literis quibus ablata ab eo repetebantur, & pacis tractationem nullàm ob ejus Nunciorum morositatem factam esse significabatur. Rex Vilna mediis Iunii diebus ad Suirum pervenit, ubi exercitus, qui illic aderant præsertim Lithvanorum lustrat, Recensitoquè milite Lithvano Radivilum Polociam versus cum eo tendere jubet, adjuncto illi Bekesio. Et Mielecium cum exercitu Polonico eos subsequi mandat. Ipse etiam ita commodè eos sequitur, ut de proximo, quem eorum aut etiam omnes accersere vellet, id quàm facile posset. Et jam Dzisnam pervenerat, quam amissa Polocia Sigismundus Augustus Rex in loco dicto

 Ko-

Kopiec ad flumen Dunam & confluentem Dinam extemporaneo opere vallo tamen bene munitam extruxerat, ubi omnes copias denuo recensuit, & in castris posuit. Quo tempore ad Regem venit *Gottardus* Curlandiæ & Semigalliæ Dux, & Ducatus Investituram præstito fidelitatis Homagio genu flexo suscepit. Illuc primus auspitii boni nuntius allatus ad Regem est, Crasnam, Grodecam, & Sitnam, & alias arces Moschicæ potestatis captas, & Palatinos aliquot unà cum multis earum præfectis captivos in manibus nostrorum esse. Igitur in fine mensis Iulii Dunam transivit, & per Sylvam quam Moschus loco septi occupata Polocia densissimam crescere fecerat præmissis peditibus Hungaris cum securibus per eam exercitui suo & sibi viam amplam aperuit, & patefecit, & tandem ad conspectum Pociæ venit: ad cujus portas jam Hungari cum Lithvanis ad ripam Dunæ factis sibi munitionibus consederant. Ipse autem Rex ad levam partem cum Polonorum copiis Arcem per

Gothardus primus Curlandiæ Dux.

Polocia obsessa.

per Sylvæ extremam partem circumvectus, à Septemtrione Castra locanda præcepit & statim Polociam oppugnare cœpit xx die mensis Augusti. In tribus locis semper Sacra Polonica fiebant, apud Regem, apud Mielecium, & Solikovium, cum Rege Solikovius erat, cum Mielecio Martinus Laterna Societatis Iesu verbi Dei præcones omnibus Mielecius providebat. Hungari cum suo Bekiesso propius cuniculis actis Arci in alto imminenti successerunt, plurimæ pluviæ oppugnationem valde difficilem efficiebant. Et cum aliquoties Civitas sub Arce posita ex injectis ignibus flammas concepisset vi imbrium multoties compressæ & extinctæ fuerunt, & nostrorum labores & sudores frustraverunt. Diebus ac noctibus tormenta ex arce explodebantur, castra non attingebant. Strenuè ad omnes partes Arcis Moschi noctè dièque advigilabant, subsidium à Seremeto Magni Ducis exercitus Præfecto, qui cum quinque millibus armatis ac ferè universo flore Aulæ Moschicæ in arce

Sokolo omnem occaſionem opis Polociæ ferendæ intentus erat, expectantes nullam animi fractioris ſignificationem dabant. Imo cum igne à noſtris Civitatem ſæpius tentari, ac in ea minus fiduciæ collocatum haberent, ipſi uno momento eam pluribus locis ſubjectis flammis exuſſerunt, & in arcem ampliſſimam, omnem populi multitudinem receperunt, ſed neque eo modo ſe diu ſuſtinere potuerunt, multoties in Germanos pedites, qui ſuas munitiones ab oriente habebant excurſione facta in eis ſtragem edebant, & ut vires noſtrorum diſtraherent eodem momento in Hungaros & Lithvanos frequentes globos ejaculabantur. Cum ecce XXVIII Auguſti nonnihil reſtituta Serenitate aëris jam circa mœnia noſtris cum facibus verſantibus, Moſchis contra repellentibus flammas turres quædam conceperunt, & Moſchi deſperatâ ſalute de deditione agere cœperunt. Exercitu Sokolenſi ob diligentem & Mielecii & Regis obſervationem opem nullam eis ferente. Graſſante igi-

Et tandem expugnata.

igitur flammâ, & hoſte fugam ſi quaqua verſum fieri poſſet adornante in dies ex Arce decurrunt, & jam arcem inferiorem ſe ſubdere ſignificant, item alii, & ſuperiorem eos ſequi. Ita Rex cum Mielecio, proviſis rebus omnibus arcem capit, multitudini parcitur. Palatini, & Duces cum Vxoribus & liberis Vilnam miſſi, multitudini, quo vellet ire permiſſum. Multi in ditiones Stephani Regis ſponte abierunt, multi in Moſchoviam ſe contulerunt. Quos cum ſine maleficio abire Rex permiſiſſet, aliqui Lithvani in eos irruerunt, eoſque deſpoliaverunt. Quod Rex ita indignanter tulit, ut graviſſimè cum Lithvanorum Proceribus expoſtulaverit, ac in authores ſpolii ſeverè animadverti voluerit. Arce in poteſtatem Regis deductâ, Deo gratiæ actæ ſunt, & inter ea Hungari Arcem deſpoliarunt, & fruſtra prohibentibus Niſcicio Pækoslavio, Niemſta, Kraſicio, & aliis quibus Arcis cuſtodia fuit mandata prædam ex ea non vulgarem egerunt: Et licet hoc negaretur, & apud Hun-

Hungaros in Polonos rejiceretur, publicè poſtea eæ res vendebantur, quæ *Chocivici* appellabantur. Quaſi Coſſæveciæ, quas jam Rex Hungaris condonaverat. Polonos autem pedites, dato pecuniario donario placavit. Reſtabat *Arx Sokolum* in qua ut dixi robur & flos fuit, Moſchorum Ducis, & cum Seremeto plures Duces ac viri belli periti fuerunt, ad eam oppugnandam Rex Mielecium ire jubet. Qui acceptis tantum Polonis & Germanis profectus, nullâ aut minimâ ferè ſuorum jacturâ idque Germanorum tantum qui ad Polociam ignaviæ notam ſuſceptam, abolitam cupientes, ſub Sokolo ſtrenue pugnando ac in Moſchos jam ſe ferè dedentes ſæviendo ſeſe temerè in pericula ferri & ignis dejiciebant, Arcem evertit, Seremetum & Palatinos omnes ac quoſvis præclariores cœpit, multitudini pepercit, & in poteſtatem Regis omnia redegit. Equites non movens. Palatino tantum Braſlaviæ ad poſteriorem Arcis portam qui fugientes caperet cum ſua militum ma-

Sokolum Arx dehinc occupata.

manu collocato, & captivis nobilioribus die altero epulo dato peditibus ſingulis donatis, captivorum honeſtate proviſa ad Regem die quarto poſt venit, & fortunam hanc gratiæ Divinæ & felicitati Regiæ adſcribens, ſibi nihil niſi ſtudium, & conatum ſuum ſervandæ Arcis, quod tamen Deum noluiſſe appareret, reliquit. Hungari gloriæ Mielecii, & præclaro illius facto, quod arrogantius in ſua abſentia nullum fore incitaverant, non obſcurè invidebant. Et Rex quidem ipſe gratias egit, ſed quod ſui Hungari abfuiſſent, non ſatis alacri animo. Quin & ipſe Zamoiſcius licet Sorores germanas Radivilas ambo ſibi matrimonio junxerant, ob nullam gratulationem adhibitam vel ob ſtudium ſuum in Regem nimium, vel aliqua alia de cauſa animi à Mielecio alienioris eſſe à pleriſque notabatur. Captivi in Lithvaniam miſſi. Arx Polocia octavo die poſtquam erat capta Doroſtaiſcio Palatino Plocenſi à Rege fuit commiſſa, & data. Et ut gratitudinem Deo pro collata victo-

Mielecii virtus comitem habet invidiam.

victoria referret, Templum, locum, areas & fundos, tam in Arce quam in Civitate Polocensi Societatis Iesu Patribus ad Pubem Lithvanam & Ruthenam Albæ Russiæ, pietate instruendam, & literis excolendam attribuit. *Collegium Societatis Iesu Polociæ institutum.* Cum Bekiessius in Mielecium in dies plus animorum sumeret; non latebant illa Mielecium cui ut magis ægre fieret, Lithvani Proceres in Senatu ipso pro Bekiessio Regem rogarunt, ejus gesta, fidem virtutem ut pro indigena Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ haberetur commendantes. *Biekiessius Indigena Regni.* Cui rei non obscurè & Zamoiscius Cancellarius favisse visus est, quippe quod id & Regem ipsum cupere intelligeret. Quod non difficulter à Rege impetratum est. Itaquè re perfecta Bekiessius inter Consiliarios assidere solitus, rixari coram Rege aliquando cum Mielecio cœpit, quem Mielecius rei indignitate commotus, non sine aculeis neque tamen sine lachrymis à se excussit & amovit. Rege nescio quid semper in Mielecio desiderante, & cuivis po-

potius alteri, quàm ipsi favente. Rex igitur Lithvanis domum dimissis tandem Vilnam sine omni triumpho rediit, triumphum suum Divinas laudes, & Scholæ Vilnensis salutationes pueriles arbitratus. Hunc primum ferens fructum præclari Privilegii sui, & Academiæ fundatæ, priusquam se ad bellum Polocense contulisset. Adduxerat exemplo Stanislai Hosii Cardinalis Varmiensis Valerianus Vilnæ Episcopus Vilnam Professores Societatis Iesu ad scholas aperiendas, eisque areas & domos & fundos quosdam attribuerat, iis ad Ecclesiam Parochialem Sancti Ioannis Baptistæ datis. *Academiæ Vilnensis fundatio.* Decano & Sacerdotibus Secularibus Sacramentorum administrandorum causa. Eæ Scholæ hactenus Regiam confirmationem aut titulum Academiæ non habebant. Itaquè sollicitante Regem per Solikovium Episcopo, ipse enim aliquot annis è podagra & Chiragra & Senio, morbo senum decumbebat, & Ioanne Chodkievicio Castellano Vilnensi, Capitaneoque Samogitiæ, viro post suam

 ab

ab Hæresi Lutherana conversionem Vehementi Catholico, Collegioque Patrum apprimè favente Rex Privilegia Academiæ Solikovio commendat, conscribenda & paranda. Quæ dum essent parata cum Rex astante & commendante Chodkievicio subscripsisset eundem Solikovium ad tentandum animum Nicolai Badivili Palatini Vilnensis, num is Sigillum Magni Ducatus ejusmodi Privilegiis, quæ in ipsorum Lithvanorum usum, & laudem deseruitura essent, apponere vellet, misit. Quod cùm is cum suis aliis Collegis Lithvanis Consiliariis communicare se velle respondisset, re ad eos delata non minimum impedimenti habere cœperat. Multi enim ex iis dicebant, se erectionem & fundationem Collegii & Academiæ Iesuitarum contra libertates & privilegia sua facere, multi oppressionem religionis reformatæ appellare. Quare Regem adeunt, & rogant, ut nè in suis libertatibus aliquod detrimentum paterentur; Irrisi sunt, & valdè vexati cum suis postulationibus à

à Chotkievicio Castellano Vilnensi, & Rex instituti sui boni, & pii rationem illis abunde probabat. Et cum recessissent tacentes sed non assentientes, misit denuo Rex Iasienium Secretarium Lithvanum Catholicum, qui Palatino Vilnensi diceret, mirari se eam libertatem, quæ nunquam discere & doceri velit, mirari; unde habeant ea Privilegia per quæ liceat eis semper in barbarie & ignorantia Dei, pietatis, & bonorum morum versari, & nunquam nec Dei religionem, nec literas bonas amplecti, & cum Iasienius non signatis adhuc Privilegiis rediisset, misit Rex, qui vocaret Eustachium Volovicium Castellanum Trocensem ViceCancellarium Lithvanum. Qui cùm venisset, & linguæ Latinæ ignarus esset, dixit illi Rex per Iasienium ut Privilegia à se Academiæ Vilnensi data, sigillaret, ipso hærente, ac ambigente, & quasi ad alios provocante, *Rex*, inquit, *aut obsignet si vult, aut si non vult det Sigillum, se ipsum obsignaturum esse, sed Sigillum jam cum amplius non recepturum esse*, Vice-

 Can-

Cancellarius perterritus & pudefactus, fecit, quod Rex voluit, & Privilegia Vilnensi Academiæ ritè obsignavit. Hanc igitur primam gratiam è bello revertenti & victori Regi retulit Academia, quod eum elegantibus puerorum versibus, encomiis ac concentibus in Ecclesia Sancti Ioannis exceperit. Inde in Poloniam ad Comitia Regni, quæ prosequendi belli causa indixerat Varsaviam iter suscepit. Grodnæ ad eum Nuncii Civitatis Rigensis venerunt, qui & ante bellum Plocense Vilnam venerant; sed cum rebus infectis & imperfectis dimissi erant. Quibus cum jussu Regio & Senatus Solikovius & Venceslaus Agrippa Lithvanus Secretarii Regis de modo & conditionibus subjectionis tractarent intra biduum rem fere omnem cum eis transegerunt, & tandem ad Zamoiscium Cancellarium quo iis Privilegia conscriberentur cum Solikovio Cnisinum à Rege remissi fuerunt. Drohicini reliqua finita sunt. Tandem in oppido Podlachiæ Sokolovio pro Civitate sua jusjurandum in

Rex Varsaviam ad Comitia proficiscitur.

ea, quæ à Rege collata illis fuerunt Privilegia, ac in eorum conditiones præstiterunt. Linum Albertus Lascius Palatinus Siradiensis ex oris externis ad Regem venit, qui ex quo Cæsar Rex Poloniæ fuit renunciatus, tantisper adhuc Poloniam non viderat. Post Stanislaum Sandivogium Czarnkovium Referendarium Regium in Polonia ob diuturnam absentiam, ut alia aliis, ita Referendaria Nicolao Firleio Castellano Biecensi cessit, Altera verò Stanislao Olsovio mortuo, Ioanni Tarnovio à Rege data est. Comitia inde Varsaviæ habita anno CIↃ IↃ LXXIX, in quibus nova Contributio unius floreni ex singulis laneis impetrata est. Et Rigam ad Homagium à Civitate recipiendi causa missi Solikovius cum Agrippa Lithvano, qui Rigæ magna alacritate recepti, rebusque, quæ tunc ab ipsis confici, & peragi poterant, cum Magistratu & Populo compositis, die certo sub dio in sublimi throno pro Rege sedentes jusjurandum Ordinum Vrbis, præeunte Agrippa, Regno, Regi, &

Riga Civitas incorporatur.

Comitia Varsaviensia 1579.

& Magno Ducatui Lithvaniæ præſtitum ſuſceperunt. Fuerunt adhuc Rigæ quatuor Moniales Virgines Catholicæ, quæ jam quadraginta annis non ſumpſerant Sacram Euchariſtiam. Cum illis Solikovius locutus, eas in fide confirmavit, & Eccleſiam illis liberam ut ante promiſit. Tandem apud Ducem *Curlandiæ Gottardum* recepti multas ejus querelas de jure proprio hac tam longa Privilegiorum collatione Rigenſibus facta plurimum labefactato, audierunt. Sed Nuncii Regii non nimium diſceptantes, rem totam ad Regem relaturos ſe receperunt. Rex confectis è ſententia Comitiis, neque etiam belli ipſius tractatio aliis negotiis multum loci relinquebat, in Lithvaniam redibat. Ecce autem ab Imperatore Rudolpho Kochciczki, ad Regem tum ad Senatum cum literis & mandatis venit, Cæſarem ab Ordinibus Bohemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ monitum eſſe, ut quæ ſibi amicitia aut vicinitas à Rege ſperanda eſſet, cognoſceret. Cui cum daretur literis reſponſum, mentio facta

Gothardus Curlandiæ Dux conqueritur de Rigenſium Privilegiis.

Literæ Imperatoris Rudolphi ad Regem & Senatum.

facta eſt captivorum nunciorum Regni, & cæterarum moleſtiarum, verùm tamen amicitia promiſſa, & fœderum antiquorum integritas, modò ut Imperator quoque uti Chriſtianum Principem decet, idem faciat; Lepel poſſeſſio Capituli Vilnenſis, quia opportuna fuit ad Polociam; Capitulo verò propter longinquitatem incommoda: eam Rex recepit, & Capitulo Poſwoliam conceſſit, quam æquivalere Lepelio Commiſſarii Regii recognoverunt. A quo jam tempore Capitulum Vilnenſe Poſwoliam obtinet: Rege ad Wielikolukosz proficiſcente adfertur à Pontifice Gregorio XIII *Pileus & Enſis conſecrati* per Paulum Vchanium, qui in Eccleſia Cathedrali Vilnenſi ab Epiſcopo Samogitiæ Gedrocis, Legato Apoſtolico Ioanne Andrea Caligario aſtante, ſolenniter Regi traditus eſt. Ad hoc bellum cum Moſcho ſecundum Rex ipſe ſibi partem exercitus unam ducendam deſumpſit; alteram Zamoiſcio Cancellario commiſit, quam ipſe ex ſuis familiaribus conſcripſerat, & pullo

Commutatio bonorum Capituli Vilnenſis cum Regalibus.

Pileus & enſis conſecratus S. S. Pontifex Regi mittit.

Zamoiſcius Campiductor.

colore, ob mortem Vxoris ſuæ Chriſtinæ
Atratæ copiæ.
Radivilæ veſtiverat, quas vocabat *atratas copias.* Mielecius etiam non amplius attigit bellum; Imo nec multum ſupervixit. Gaſpar Bekeſius ejus æmulus, qui in monte
Bekeſius moritur.
quodam ſupra Vilnam Vrbem more exotico ſub Turre rotunda ſepultus jacet. Moſchus Vilnam ad Regem Nuncium miſit Naſeskinum cum mandatis, ut Rex literis Salvi Conductus datis, ejus cum plenis mandatis Oratores Vilnæ expectaret. Datæ literæ Paſſus, ſed Rex tamen progrediebatur. Hoc tempore Societas S. Annæ
Societas S. Annæ.
Lomzæ primum, deinde Vilnæ inchoata eſt, poſtea per omnem Poloniam, Lithvaniam, Ruſſiam, diſſeminata. Quæ etiam Varſaviæ planè ſub id tempus cum Hæretici Nuncii Terrarum S. Thomæ Societatem munuſcula aurea, notatam, quam Fratres è collo penſilem portabant, publicè in Senatu, apud Regem accuſabant, in ipſis Comitiis inſtituta eſt. Recuperata Polocia, viſum eſt Regi, & iis quibus loca illa nota fuerunt ad oppugnandam Arcem Wie-

Wielikolukum exercitum ducere, quæ ad ulteriorem Moſchoviam peropportuna videretur. Eam arcem cum aliquantiſper
Wielikolukum expugnatum.
Auguſto Menſe oppugnaret, ac in ea re, pro more ſuo fortiter Moſchi reſiſterent, eam cuniculis primò labefactatam, deinde ſuperjectis ignibus æſtuantem, ſed ne hoc quidem modo Moſchis ſe dedentibus, poſtremò vi, ac cæſis plurimis funditus evertit, ac delevit. Nevella, &
Nevella item & Oſtrovia.
Oſtrovia expugnata & in poteſtatem Regis, operâ Ioannis Zamoiſcii Cancellarii redacta eſt. Ad Turopeciam præliis aliquot & quidem feliciter dimicatum eſt, nec unquam præterea campeſtribus præliis Moſchis ſuccedebat quicquam. Ad Zawolociam, quod ad eam non niſi per aquam acceſſus pateret, varia fortuna certatum eſt, ſub qua Petrus Klocevius Caſtellanus Zawichoſtenſis periit: Itemque Chriſtophorus Rozdrazevius Capitaneus Lancicienſis, Vir militaris in Francia, & Germania educatus. Poſtremò tamen Za-
Zawolocia capta.
wolocia capta in Regis poteſtatem venit.

Variis literis & Internunciis, animum Stephani Moſchus diſtrahere, & à bello avertere nitebatur. Sed cum ſe nihil proficere animadverteret, ad Summum Pontificem legationem mittit, rogans, ut is tanquam Pater, & Paſtor omnium Supremus Stephanum ab effuſione ſanguinis Chriſtiani authoritate ſuâ coërceret, & pacis arbiter eſſet. Quare Pontifex Antonio Poſſevino id dat negotii, ut ad Moſchum iret, voluntatem ejus, & omnia exploraret, & ſi tractabilis eſſet, à negotio divino, & ſalute animæ ſuæ propriæ, & unitate Sanctæ Religionis amplectendæ ſermones ſuos cum eo ordiretur, & tandem bonâ ſpe pacis conſolaretur. Sed hæc res non niſi uno anno circumacto fiebant, permittente omnia, & ipſis Moſchitis ad Papam Nunciis liberum tranſitum concedente Stephano. Poſſevinus cum apud Moſchum eſſet Nicolaus Radivilus Caſtellanus Trocenſis Palatini Vilnenſis filius, cum magna Lithvanorum manu in profundiorem Moſchoviam ingreſſus, ferro & igne ejus ditiones vaſtabat, & eo uſque quidem, ut etiam veſpertino tempore Moſchorum ipſe Princeps è feneſtris flammis collucentes nubes conſpiceret, & cum lachrymis diceret. Iam ſe in Regis Stephani manum datum, & concluſum divinitus eſſe. Et niſi à Poſſevino animo bono juſſus fuiſſet, jam cum filio Iwano, quem unicè diligebat, in Album Lacum obvia ſupellectile collecta fugere volebat. Victoriarum & bellorum Stephani auxit gloriam hæc Moſchi ad Summum Pontificem Legatio, apud omnes nationes exteras. Quanto enim jam clarior erat ante & creverat ejus nomen, & potentia, ignaviâ noſtrâ, tantò Stephanus, qui ejus vires fregerat, ipſumque contuderat, erat omnibus admirabilior, tanto major omnium in eum favor, ita ut Rex Hiſpaniarum ſummo eum in honore haberet, & omnibus Chriſtianis Regibus anteferret. Dum Rex ad Wielikolukosz eſſet, moritur in Polonia Iacobus Vchanius Archiepiſcopus Regni Primas, qui jam etiam ſibi excluſo Czarnkovio, Sta-

Moſchus S.S. Pontificem ſollicitat, ut pacis velit eſſe arbiter.

Nicolai Radivili progreſſus in interiorem Moſchoviam.

Inde Panicus Moſcho terror oritur.

Stephano Regi major gloria.

Iacobi Vchanii Archiepiſcopi Gneſnenſis mors.

 niſ-

Stanislaus Karnkovius ei in Archiepiscopatu succedit.

nislaum Karnkovium Episcopum Vladislaviæ Coadjutorem Archiepiscopatus asciverat. Quæ tamen Coadjutoria Regi, & Capitulo rata, nondum à Summo Pontifice approbata fuerat. Quare certa morte Vchanii nunciata, renunciatur Karnkovius Archiepiscopus, & onus Reipublicæ, quod hactenus pro Archiepiscopo sustinuit, pro seipso gerere cœpit. Wielikolucis captis, Rex trium hebdomadarum spacio ea reficit, & ita quidem, ut ipse à manè ad vesperam usque ferè operi semper præfuerit, quorum munitionibus, ut tum temporis ferebat perfectis in illis, & in aliis arcibus, præsertim Nevella, Ostrovia, & Zawolocia, præsidio relicto Vilnam, ac deinde Varsaviam, ad Comitia tertio indicta redit. Illic Contributione floreni ex laneo impetrata, decreto ad Plescoviam armis petendam bello, illuc proficiscitur, & Ioannem Zamoiscium Cancellarium, Exercituum Generalem Præfectum creat. Interea Frater Regis Christophorus Bathoreus Palatinus Transsyl-

Zamoiscius generalis Exercituum præfectus.

sylvaniæ moritur, relicto Filio Sigismundo impubere. Rex Vilnæ fratri justa persolvit, & Nepoti Tutores instituit. Vivente autem Fratre Claudiopoli Collegium Societatis Iesu instituerat: & Albæ Iuliæ Patribus iisdem residentiam concesserat. Dum Rex ad Plescoviam esset, oppugnatio non satis prosperè succedebat, nam & pulveres defecerunt, & falsa narratione exploratorum, miles per scalas non in eum quem oportuit locum scandendo, non sine aliqua strage repulsus est, & cum id secundo etiam tentaretur, simili infortunio laboratum fuit. Suiski Pleskoviæ præerat, qui cum Zamoiscium ad singulare certamen provocasset, ac Zamoiscius suscepta conditione ad muros expectans Suiscium obequitaret, insidiis in eum structis, quam aperto Marte maluit cum eo rem gerere Suiscius. Itaque Zamoiscius, & insidias ejus evitavit, & redarguto Suiscio, ad suos, cum laude incolumis reversus est. Ostromentius Artelariæ Magister Pruthenus Nobilis, uti qui-

Plescoviæ obsessio.

In qua Zamoiscius à Suiscio ad duellum provocatus.

Dolis provocantis vix non interceptus.

Dolum ergo stratagemate compensavit.

quidem ferunt. Zamoiscio arculam quandam artificiosa quædam tela cum igne intus condito continentem, in Arcem homine quodam captivo, qui eum ad hostem transiturum diceret immisit, quæ in medio Arcis aperta cum esset, circumstantes aliquot interfecit, Suiscius incolumis evasit. Quod factum etiam Suiscius malignitati nostrorum adscribebat. Dum Plescovia oppugnatur, & in omnibus locis Moschi vires debiliores indies fiunt, Rex Sueciæ Ioannes Tertius, Regis Socer, ad occupandam Narvam animum adjicit, & cùm debilius intus esset præsidium, quo cum suam Ruthenicam Narvam Moschi etiam eodem tempore tueri vellent, distractis eorum viribus; Pontus de Guardia Gallus Regis Sueciæ militum Præfectus, tormentis admotis, & oppugnatione cœpta, ad deditionem Moschos compulit, Narvamque portum præstantem Regi Poloniæ intervertit. Quod etsi Regi Stephano molestum acciderat, tamen id alteri tempori reservandum putabat. Sub id

Narvam intereaSueci occupant.

id tempus, & aliquot Arces in Livonia in potestatem Regis venerunt. Moschorum Dux, cum Regi Martis aleam favere, sibi verò adversari animadverteret, ferè præ furore in amentiam versus, filium suum Iwanum, seu Ioannem natu majorem, cum ab eo de inconsulta belli cum Rege Stephano ratione reprehenderetur, adacto in caput & viscera ejus scipione interfecit. Quem quia ob animi ferocis indicia, plusquam Fedorum seu Theodorum minorem natu filium naturâ mitiorem diligebat, facti pœnitentia ductus, vix à se ipse manus abstinuit, & tum inediâ, tùm aliis modis, ac piis, ut illi videbatur operibus, missis quoque in Græciam orandi causa muneribus, culpam parricidii perpetrati expiabat. Interim etiam & largius sese ingurgitando, & nova spectacula exhibendo, & uxore denuo ductâ domesticum dolorem lenire cupiebat, & cum Rege Stephano tàm forti & fortunato bellatore amicitiam penitiorem expectabat, cui etiam Rex paulò pòst pace confecta unà cum pretioso

Moschus fit parricida.

tioso pilento, clavam, & munera quædam militaria per Oratores ad illius audiendum in conditiones pacis jusjurandum delegatos misit. Iam verò hyems profunda ingruerat, & Zamoiscius nihil de premenda obsidione Plescovia remittebat; provisis etiam undique his rebus, quæ ad eam in aliquot menses continuandam pertinebant. Moscho igitur jam & bellorum ac detrimentorum pertæso & Antonio Possevino, nomine Pontificis Maximi pacem apud Regem assiduè, scribendo & orando, urgente, & in aliquam miserationem gentis afflictæ jam etiam Rege ipso inclinato, seriò per omnes Commissarios, tàm Regios quàm Moschicos, de pace vel perpetua vel temporanea agi, & tractari cœptum est. Mortui sub id tempus, Ioannes Sieniavius Archiepiscopus Leopoliensis, & Petrus Zborovius Palatinus Cracoviensis. Inchoatâ igitur pacis tractatione Rex Consiliariis monentibus, Vilnam rediit, & ibi non multum moratus Rigam proficiscitur, primis Quadragesimæ diebus.

Pacis tractatus cum Moschis.

Mors Sieniavii Archiepiscopi Leopoliensis & Petri Zborovii Palatini Cracoviensis.

Quo

Quo ad eum perferuntur literæ de pace & transactione facta, quæ pax ut in decennium constituta esset, Stephano Regi tota Livonia cederet Moschus, Moscho verò omnia hoc bello triennali erepta, è vestigio restituerentur. Advigilante igitur, & summam hyemem sustinente Zamoiscio cum exercitu, nè quo dolo Moschi uterentur, uno & eodem tempore, utrisque sua reddebantur, data facultate, sua cuique cujus essent auferendi. Ipse se inprimis Derpatum contulit & Templum præcipuum Religioni Catholicæ assignavit, in eoque Thomam Lamcovicium, Virum eruditum, Præpositum reliquit. Alterum Templum Confessioni Augustanæ incolarum ad Vrbem convocandorum causa relinquebatur. Loknicius Secretarius Regius loco Oeconomi; Sigismundus verò Rozen Arcem & Vrbem præsidio tenuit, quo mortuo, Reczayscio Castellani Varsaviensi lc o Capitanei Derpatum committitur. Recuperatâ igitur, & receptâ Livoniâ, Zamoiscius Rigam ad Regem venit, &

Pacis conditiones cum Moscho.

Derpati Catholicismus restitutus.

Rex Rigæ moratur.

S 2 rela-

relatione universæ rei gestæ facta, intra paucos dies Knissium est profectus. Affuerunt tunc Regi Consiliarii Lithvani complures, è Polonia pauci, ubi à Rege cives aream olim Archiepiscopi Rigensis intra mœnia Vrbis sitam impetrant. Mœnia Vrbis, mœnibus Arcis adæquare pollicentur, portam ex Arce contiguam semper patentem offerunt intra Vrbem loco Ecclesiæ Cathedralis, & Parochianæ, ac reliquorum templorum, Ecclesias duas Sancti Iacobi & Sanctæ Mariæ Magdalenæ cum Monasterio Monialium, quæ adhuc tres superfuerant, unà cum contiguis ædibus antiquis Sacerdotum concedunt. Census quosdam ratione ædium Canonicalium ipsis relictarum, Patribus Societatis Iesu, quos illic Rex relinquebat institutos, Soluturos se etiam agri cellarii ratione susceperunt. Controversias quasdam ibidem Rex judicio diremit, pacem edixit, Catholicam Religionem ad templa sibi concessa Dominica die Palmarum introduxit, quod ipsum fuit jam Anno CIↃ IↃ

CIↃ IↃ LXXXII, Commissiones quatuor ad recognoscendum totam Livoniam istinc expediit. Et quoniam Episcopatum aliquem cum authoritate Summi Pontificis in Livonia, in qua ante tempore florente quatuor fuerunt, præter Archiepiscopatum Rigensem, Derpatensis, Revaliensis, Osiliensis, & Curlandiæ, post collectas reliquias Livoniæ, in tot partes discerptæ, fundare, & instituere voluit. Nicolao Firléio Castellano Biecense, qui tractum Rigensem cum Ducis Curlandiæ Consiliariis recognoscebat, quibus etiam Rex Solikovium adjunxerat, bona & possessiones aliquas dispiciendi & in usum Episcopatus assignandi potestatem dedit. Egerat autem jam antea cum Solikovio Rex per Firleium, & Scargam, & tandem per se, si fortè non respueret conditionem Episcopatus novi in Livonia erigendi, quem ei non ineptum propter linguæ Germanicæ peritiam, & hominum favorem judicaret. Quos audiens Solikovius: quod Deo videretur & placeret, id se secuturum,

Commissiones Livonicæ 1582.

rum, respondit. Igitur cum Castellano Biecensi non deteriorem partem fundorum ad fundationem Episcopatus designabat, neque mora Wolmariam, Burthnicum, Fricatum Arces notant, & describunt & viginti quatuor domos Vendæ ad usum Canonicorum & Cleri cum Templo Parochiali, in usum Cathedralis Ecclesiæ, & domo Episcopi ea quæ tùm fuit in manu Mathiæ Debinski, Militum Præfecti, designant. Rumburgam etiam arcem, & residentiam Rigæ & Derpati designabat Solikovius, Rex interea Vilnam, tandem Grodnam pervenit, relicto Locumtenente suo Georgio Radzivilo Duce in Olyca, Episcopo Vilnense, post Cardinale in Arce Rigensi, totius Livoniæ Gubernatore, & cum eo Solikovio, & Ernesto Vejero Pruteno, viro militari. Solikovio præterea administrationem Ecclesiarum cum facultate recuperandorum pagorum, qui à Monasterio ablati superioribus tumultibus fuerunt, nam tantùm unus Pagus, ex septem erat Monialibus residuus, commisit.

Vendensis Episcopatus fundatio.

Georgius Radzivilius Livoniæ gubernator.

De-

Descriptione Episcopatus à Castellano, & Solikovio auditâ & intellectâ, Rex Grodnæ omnia comprobavit, exceptâ Rumburgâ, & fundationis Episcopatus Privilegium parari jussit. Quod ut à Summo Pontifice confirmaretur, per Oratorem suum Petrum Doninum Volscium Episcopum Plocensem, moranti Paulo Vchanio submissum, curavit. Paulò pòst Solikovio Volmariam arcem cum oppido & pagis tradit, & reficiendam, emendandam, & incolis implendam jubet. Locumtenens Regius cum adjunctis assessoribus causas omnes civiles, & criminales judicabat. Nobiles & Cives à militum injuriis vindicabat: multas inter populum & Magistratum querelas complanabat, privatorum præsertim, pupillorum, & viduarum causas, quas ipse poterat, determinabat, quas non poterat, præsertim cum de possessionibus repetundis agerent, ad Regem remittebat, & pro ejus benignitate, quam non vulgarem erga pauperes semper ostendebat, gratiam querentibus succurrebat.

Sic-

Sicque & Locumtenens, & Assessores multum authoritatis & benevolentiæ sibi apud omnes homines conciliaverant. Toto anno illic simul manserunt Solikovius & Vejerus. Cum in Septembre correctum calendarium ad eos à Legato Apostolico Alberto Bologneto Cardinali Vilna mittitur. Quod cum publicassent ab omnibus acceptum est, per Arces, templa, oppida à Villanis (Rigensibus exceptis) qui in eo dilationem ad tempus commodum petebant. Qua in re cum illis, nihil est asperius factum. Religio interea Catholica sumpto à Venda, & Volmaria initio, operâ Solikovii in multas Livoniæ partes, per aliquot Sacerdotes è Prussia, à Martino Cromero Episcopo Varmiensi, & Stephano Rege submissos, longè, latèque disseminata est. Præter Rigam, ubi Petrus Skarga, & Ioannes, cæterique Patres fuerunt, ac Derpatum, ubi Præpositus erat ab ipso Rege fundatus, Thomas Lamcovicius: ita ut non integro anno in septem districtibus universa plebs Livonica Religionem Ca-

Rigenses Calendarium Gregorianum non suscipiunt.

Catholicismus in Livonia propagatus.

tholicam ardentibus & devotis animis receperit. Tantùm verò plebis erga Solikovium erat benevolentiæ, & fiduciæ, ut ejus persuasionibus adducti homines Sacerdotibus Germanis, & Livonicæ linguæ ignaris per interpretes Litavos, ab eo ad hoc institutos, peccata sua confiteri non vererentur. Moschus pactâ illâ pace, non diu lætatus est, nam eodem ferè anno, postquam intemperantius vixisset, & curas, mœroremque suum diluere mero consuevisset, Clero suo largas Eleemosynas, ut pro se Deum precarentur partitus, Filiumque Theodorum, quem minus aptum regendo imperio, quod impos rationis esse videretur, cernebat & Principatum Procerum fidei, constantiæ, & concordiæ obnixius commendans, ex hac vita migravit. Tyrannorum etiam veterum crudelitatem supergressus nostro quidem seculo immanitas tanta, quanta ejus fuit, nusquam audita est. Indicuntur interea Comitia Regni Varsaviam hyeme proxima anno CIↃ IↃ LXXXIII circa Natalem Salva-

Moschorum Dux moritur.

Comitia Varsaviensia anno 1583.

 toris

toris nostri. Ad quæ cum ex aliis Provinciis, tum ex Livonia à Statibus Nuncii fuerunt ablegati; omnes bene sperabant, post recuperatam bello & transactione Livoniam, eam in bono statu collocatam iri, & bellorum præteritorum fructus fore amœniores, sed multa secus evenerunt. Erat inter capita Propositionis Regiæ è recessu superiorum Comitiorum desumptum caput unum de modo Electionis Regiæ, quod pendebat indecisum. Illud igitur etsi necessarium, & ab omnibus scitum fuerat, tamen quod à Rege proponeretur in tantam suspicionem homines adduxit, ut persuasi essent Regem pro bellis hisce confectis loco præmii, eò sua dirigere consilia, quo vel Andreas Bathoreus Nepos ejus, qui sub hoc tempus Cardinalis creatus fuit, vel Balthazar frater ejus aliquo modo Rex futurus designaretur. Auxit ejus rei suspicionem, quod Rex ante Comitia Stanislaum Karnkovium Archiepiscopum Varsaviam ad se vocabat, & cum is venire ad Regem detrectaret, Rex ipse

Caput de modo Electionis Regiæ.

ipse cum Cancellario Zamoiscio Lovicium venit, ubi liberaliter dies aliquot habitus est. Occupabat Znenam oppidum insigne Archiepiscopatus Gneznensis Stanislaus Sandivogius Czarnkovius sibi nomine Coadjutoriæ Archiepiscopatus ab Vchanio olim Archiepiscopo datum. Eum ad Comitia illa Archiepiscopus Karnkovius citaverat, quam Czarnkovius citationem cum Nunciis Terrarum exhibuisset, ea illi occasione arrepta cum Czarnkovio Regem & Senatum adeunt, de iniqua, & à processu Iuris usitato aliena Citatione expostulantes. Et cum res in litem & judicia deducta esset, ita Comitia extracta sunt, ut invidioso illi de Electione Regis capiti tractando loci & temporis nihil superesset. E Comitiis igitur rebus omnibus infectis discessum est, animis omnium ferè ad intima exacerbatis, & Rege non in minimam apud omnes invidiam adducto. Qui nihilominus, ut aliquem Ordinem in Livonia institueret, ordinationem quandam privatim conscripsit. Interea

Turbat Comitia, Regique invidiam creat.

ea Ioannem Demetrium Solikovium in Livonia absentem post mortem Ioannis Srenienii Archiepiscopi Leopoliensis, Archiepiscopum nominat: & Volmariam ac cæteram Ecclesiarum administrationem in Livonia Alexandro Milenscio Abbati Trzewiessensi, tanquam Episcopo Vendensi futuro jam à se nominato tradendam jubet. Livones è Comitiis reversi tristia omnia renunciant, & Solikovio aliò translato minus contenti; jam autem & Ernestus Vejerus in Prussiam recesserat, præsentem suum statum uti poterant prudentiores tuebantur, & Radivilio Locumtenenti obsecundabant, cum quibus is biennio pòst mansit. Sed Rigensis Civitas à quodam Gisio homine peregrino ad seditionem concitata in rebellionem recidit, cujus causa Locumtenens ex Arce Rigensi Vendam se contulit. Patres Societatis præ tumultibus & violentia Civium, diu reluctante Magistratu, in Arcem commigrarunt. Aliquot viri præcipui Regii, Regique fideles, publicè à furiosa multitudine

Seditio Rigensis, authore Gisio quodam.

ne capite plexi, inter quos fuerunt Nobiliores Gotardus Velingus Doctor, & Ioannes Tastius, multi viri insignes fuga sibi consuluerunt, & tota Gubernationis forma immutata est. Comitiis tàm infeliciter actis, Cracoviam se contulit Rex cum Regina, ibique Zamoiscio Cancellario, Gryzeldem Bathoream Christophori Palatini Transylvaniæ filiam nuptui tradit; & solennes nuptiæ aguntur, ad quas omnes Regni Senatores invitantur. His nuptiis multi Consiliarii adfuerunt, & Episcopi tres, Petrus Myszkovius Cracoviensis, Albertus Baranovius Præmysliensis, post mortuum Ioannem Borukovium designatus, & Martinus Bialobrzescius Camenecensis, Abbas Mogilæ, qui novam nuptam è Transylvania adduxerat & cum Cancellario copulaverat, spectacula multa & sumptuosa in illis nuptiis edita fuerunt. Zborovii, Ioannes, Andreas, & Christophorus cùm adessent, & Christophorus ex Germania reversus per Cancellarium à Rege quatuor millium stipendium

Zamoiscio Bathorea nuptui datur.

Origo odii Zboroviani contra Zamoiſcium. dium, quod olim Spervaynus Prutenus in Aula Cæſaris à Rege habebat, peteret, ac illi ſaltem media pars deferretur, in gravia utrinque odia, & tandem in fatalia Reipublicæ pericula ea res ſucceſſu temporis erupit. *Samuel Zborovius captus & decollatus.* Etenim Samuel Frater Zborovium, quem ob necem Andreæ Wapovii Caſtellani Præmyſlienſis Henricus Rex Sententia ſua exulem pronunciaverat, & hactenus Regis Stephani Salvi Conductus literas, quod in Tranſylvania ei ſtuduerit, & ipſius Cancellarii favore fovebatur, Rege in Lithvaniam profecto Zamoiſcii Cancellarii, & tùm Capitanei Cracovienſis juſſu, propè Proſoviam captus, & Cracoviam perductus, demum capite plexus eſt. Paulò verò ante à Samuele cum literis Chriſtophori ad Samuelem ejuſdem puer ſervus ſive ſua ſponte, ulturus ferociam Domini, ſive à quopiam perſuaſus ad Regem effugerat, Literæ conſpirationis vim habere videbantur. Quæ mors illius non ſolùm ipſius Fratribus, & familiæ luctuoſa, verùm etiam Regno perniciosa fuit. Etſi

Etſi enim Zamoiſcius ſe per officii ſui Capitanealis fidem & integritatem, aliud cum Exule, quem multoties per Fratres ejus, ne intra fines ſui Capitaneatus rogaretur præmonuerit, facere non potuiſſe, multis etiam cum obteſtationibus præ ſe tulerit, tamen ea omnia, quæ hoc Samuelis ſupplicium ſecuta fuerint mala abundè oſtendunt, minus opportuno Reipublicæ tempore id accidiſſe. Enimverò cum Zborovii jam ante celebres, & parentelis potentes, tàm triſte fratris ſui fatum, atque cum iis Stadnicii omnes, ac Staniſlaus Gorcanus Comes Palatinus Poznaniæ dolentiſſimis animis ferrent, loco ſanandi vulneris, aliud novum Zboroviis illatum eſt. Rex Senatores per literas Lublinum ad proximum menſem Auguſtum convocat, ubi aliis, quæ de Republica proponenda fuerunt in publico propoſitis, auditiſquè Senatorum Conſiliis, in ſecreto Conſilio deinceps, de Zboroviorum adverſum ſe, ſuamque dignitatem & ſalutem conſpirationibus, ad eos refert, ſibi in ma- *Convocatio Lublinenſis* *Rex privatim de Zboroviorum conſpiratione queritur.*

manibus eorum literas eſſe, à certo etiam, & magni nominis Viro periculum ſibi à Zboroviis imminens, ipſo nimirum Archiepiſcopo Gneznenſi denunciatum eſſe, monens unumquemque, & rogans, ut pro fide quiſque ſua, quæ in ſalutem ſuam ac totius Reipublicæ, imo ſuam ipſorum propriam cujuſque eſſent, quomodo malo huic abſque pernicie Reipublicæ occurrendum, & ſaluti communi, ac ſuæ Regiæ ſecuritati & dignitati conſulendum eſſet, Sententias dicerent. Rem atrocem multis verbis, ut erat facundus, à Rege propoſitam Sententiæ Senatorum exceperunt, quorum illa convocatio erat frequens. Condolêre omnes Regi, & facti immanitatem, ſi quidem tale eſſe certo conſtet, exaggerare; nihilominus quanto res gravior, & majoris momenti eſſet, tanto majore deliberatione & conſilii maturitate, in ea utendum eſſe cenſuerunt. Aberat ab ea convocatione Karnkovius Archiepiſcopus Gneznenſis, ſive adversâ valetudine domi detentus, quam literis ſuis

ſuis apud Regem excuſabat, ſive certo ſuo conſilio nixus, adfuturus tamen credebatur, ſi ſuum nomen in re tali à Rege editum iri ſciviſſet. Adfuerunt Solikovius Archiepiſcopus Leopolienſis, Petrus Myſzkovius Cracovienſis, Victorinus Wierzbicius Luceorienſis, Albertus Baranovius Præmyſlienſis, Adam Pilchovius Chelmenſis, Iacobus Voronecius Kijovienſis Epiſcopi. Comites Tenczynii Firleji, & cæteri non pauci Palatini, & Caſtellani, Cancellarius Zamoiſcius, & Opalinſcius Regni Marſchalcus; factionis Zborovianæ nemo, licet cognati quidam, qui ſe tamen immunes ab eorum factis profitebantur adeſſent, Nemo in Senatu erat, qui in Archiepiſcopi Gneznenſis nomine à Rege propalato, etiam ex iis qui minus Archiepiſcopo favebant, graviter offenderetur, Archiepiſcopi Leopolienſis mitiorem ſententiam omnibus Senatoribus ſecutis, & iis etiam, qui ſecus ſentiebant, ſuam tegentibus, & diſſimulantibus, in aliam ſeſſionem conſilium dilatum eſt. *Arcanum contra Zborovios conſilium.*

V Rege

Rege omnes denuo adhortante, ut in rem tanti momenti, quanti vix ulla alia esset, paratas jam ac magis expeditas sententias adferrent, remque usque ad futurum Senatum secreto tenerent. Tertio die post (nam sequenti Festum Sancti Bartholomæi Apostoli intercesserat) denuo ad secretum consilium itur. Illic Rex de propalato consilii secreto (fortasse ut acriores stimulos Senatoribus, Consilii explicandi, & animos retegendi adderet) obiter quæstus, denuo Senatores dicere sententias mandat. Archiepiscopus Leopoliensis in eodem quo prius sensu persistebat, *&*

Sententia Sclikovii.

se pro fide sua aliter consulere non posse, quàm ut Rex primum sit memor se Regni Poloniæ Regem esse, quod non armis acquisiverit, sed divinitus libera Polonorum voluntate adeptus sit. In quo Regno semper Reges fuerunt populis amabiles ac fide, & benevolentia eorum tuti, & muniti. Quibus etiam non tàm ut Reges, quàm ut clementes, & indulgentes Patres, non tàm juris ac legum rigore, quàm leni, justo, & moderato imperio ex æquo & bono imperaverint, & pro sua singulari gra-

gratia, & paterno affectu, certam semper eorum fidem, benevolentiam, ac alacre obsequium experti fuerint. Hinc factum esse, ut nunquam in ea gente Rex aut Principes ejus ulla malignitate iniquo aliquo fato occubuerit. Deinde cum aliorum superiorum Regum, tum Sigismundi primi, mansuetudinis, clementiæ, & pacientiæ exempla in similibus, vel aliorum erroribus, vel excessibus commemoravit. Nec præteriit Sigismundum Augustum, Iulii etiam Cæsaris, & Caroli Quinti meminit, qui proditorum & hostium suorum literas à suis interceptas, ad se verò allatas ne introspicere quidem sustinuerunt, sed vel iis à quibus, vel quibus erant missæ reddi & tradi curaverint vel ipsis mortuis ignibus corripuerint: Vnde ex falsis amicis multos veros, ex proditoribus servos fideles, ex hostibus facilè sibi redderent amicos. Multa Regibus ferenda, multa dissimulanda esse ob salutem eorum, qui suæ curæ & fidei commissi sunt: factionum & odiorum semina extinguenda, non oleum igni, non dolores doloribus addendos, Davidem Regem Sanctum, & Deo dilectum inter multa, quibus angebatur à Deo nihil majore studio, aut enixius contendisse, quàm ut à sanguinibus libera-

 retur,

retur, quorum causa se ita minus gratum Deo sentiebat, ut ideò ab ædificio Templi Sacri arceretur, & filio pacifico illud promissum esse videret. Postremò rogavit, ut si tanta primarum sententiarum suarum authoritas esset, si bene fidem suam, in minoribus functionibus perspectam haberet, pondus aliquod habere & sententiam suam fidelem sineret, non ad cujusquè sceleris patrocinium, sed ad ipsius Regis dignitatem, & laudem, ad salutem Reipublicæ sine dubio cessuram, si prius eos clementer ejus rei admoneret, aut saltem à Senatoribus admoneri pateretur antequam ad asperiora remedia deveniendum sibi putaret. His à Leopoliensi dictis, cæteris etiam non multùm discrepantibus qui postremò dixerant, procedendum esse in negotio diligentius. Illic tertiò rogati Sententiam, Leopoliense perstante, & clementer ab initio agendum suadente rogari cœptum, num accersendi ac citandi essent? Leopoliensis accersendos, Cracoviensis citandos, cæteri, ut quod cui in mentem veniebat proferebant. Ita Christophorus & Andreas Zborovii ad futura Regni Comitia mandatis

Nihilominus non attenta ista citantur ad Comitia Zborovii.

datis Criminalibus ad instantiam Instigatoris officii Regii citati sunt, & Comitia ad futuram hyemem anno CIↃ IↃ LXXXV indicta, quæ fuerunt Regi Stephano ultima. Zborovii ingeminata domus suæ vulnera magis exulceratis animis ferentes, & nihil moderati passim præ se ferentes, collecta amicorum, familiarium, militumque non mediocri manu ad Comitia Regni sese accingere, funus Fratris Samuelis decollati in mediam Ordinum coronam cum filiis parvulis, & pictura quadam serieque rei miserationem moturæ adducere perhibebantur. Igitur Rex è Lithvania, septus numerosiore milite, & Cancellario cum non paucis copiis ei ante Varsaviam occurrente ad Comitia ingressus est. Archiepiscopus Gneznensis etsi se Lublini absentem à Rege his litibus intricatum indignè ferebat, tamen in omnia paratus, quæ pro Reipublicæ salute sibi, aut ferenda, aut præstanda essent etiam advenit. Iam verò in omnibus ferè Regni locis, in quibus Comitia Terrarum præcedere solent gra-

viſſimè tumultuatum fuit. Præſertim in Ruſſiæ Conventu ad Viſniam habito, Proſoviciis, & in Palatinatu Siradienſi. Citati fuerunt ob turbatum Ruſſiæ Conventum Stadnicii, Zmigrodenſes ad Iudicium Regis, ſed Archiepiſcopo Leopolienſe deprecante, nè Rex utriuſque partis culpam, cujus is ſpectator eſſet, alteri impingeret, ab altera transferret (qua in re etiam Archiepiſcopum Gneznenſem ſedulum aſtipulatorem habebat) citationes illæ criminales quæ in Comitiis Regni jactabantur, Nunciis terreſtribus condonatæ fuerunt. Poſt Regis ad Comitia ingreſſum diebus aliquot interjectis Andreas, & Chriſtophorus Zborovii cum Staniſlao Comite Gorcano Palatino Poznanienſi venerunt, quos Ioannes Zborovius Caſtellanus Gneznenſis anteceſſerat, tùm ut Regis Fratribus offenſi gratiam quæreret, tùm ut Senatorum & Nunciorum animos ſibi devinctos redderet, & fratrum ſuorum infelici cauſæ fautores conciliaret. Inchoatis igitur Comitiis, & pro-

poſitione eorum quæ in conſilium venire debebant nomine Regio facta, dictiſque à Senatu Sententiis, & Nunciis Nobilitatis ad ſua tractanda remiſſis, cauſâ Zboroviorum valuis præfixa. Chriſtophorus voce præconis de more, ter quaterque accerſitur. Inſtigator, Accuſatores, Cauſidici, Teſtes, munimenta, literæ comparantur. Arx tota armatis intus, & extra repletur, domus ipſa conſilii Regii à partibus omnibus Satellitibus, armis, bombardis circumſidetur. In Senatu ipſo Rex ſuis, Cancellarius, Marſchalcus, Palatinus Poznanienſis, quiſque ſuis à tergo vallabantur. Archiepiſcopus Gneznenſis Regni Primas ſalutis ſuæ & fratrum Epiſcoporum curam non deſerens, ſuos licèt inermes, aſtare voluit. Nova & hactenus inuſitata in Poloniæ Regno Iudicii forma, & facies apparebat. Nuncii Nobilitatis cum rem tanto conatu, & ſtudiis partium intendi, & de libertatibus ſuis, illo, Regis cum ſubditis in cauſa propria judicio, agi viderent, omnes illi tali judicio, præſen-

Armata Comitia & Iudicia.

ſentes adeſſe contendebant, quibus cum reſponderetur ad eos Iudicia capitalia non pertinere, tamen ut & ipſis æquitas judicii Regii plana eſſe, & conſtare poſſit, vel omnes, vel aliquos ab ipſis electos, qui judicio adeſſent, Rex admittendos cenſuit. Ita liberum fuit Nunciis Equeſtris, Ordinis, vel omnibus, vel qui vellent adeſſe. Non defuerunt ſibi Zborovii in cauſa, & caſu ſuo tàm gravi, & omnes Senatores quorum æquitati confidebant præſertim Archiepiſcopos confugiebant. Igitur Gneznenſis Archiepiſcopus Leopolienſi adhibito, ſæpius Regem conveniebat, & ut ſe ad clementiam daret, ab eo impetrare volebat. Neque Rex admodum difficilis fore videbatur quin ſi confeſſionem facti audiſſet, ac ejus pœnitudine reos duci animadvertiſſet, cum eis benignius, ſe proceſſurum reciperet. Ioannes etiam ipſe Zborovius Caſtellanus Gneznenſis judicio interveniens oratione demiſsâ Regem compellavit. *Vt miſertus familiæ, de ſuis anteceſſoribus Regibus totaque Republica in*

Ioannis Zborovii Caſtellani Gneznenſis Oratio ad Regem.

benè, & fideliter meritæ. Cujus etiam in ſeipſo fidei aliquod argumentum ipſe perſpexiſſet, ejus reliquias opprimi, & peſſum ire ne pateretur. Si quod peccatum, aut aberratum eſſet à Fratribus ætati, & imprudentiæ, non autem malignitati tribueret. Nunquam Zboroviorum in Patriam incertam aut ſuſpectam fidem fuiſſe, nunquam id in gente Polona, fida & candida à ſeculo auditum eſſe, quod machinationis ullius in ſuos Principes, aut Rempublicam Nobilium quiſpiam accerſeretur. Si frater fratri privatas literas ſcribens dolorem aliqua ex re conceptum illi apparuerit non continuo vim conſpirationis verba doloris habere, non ſtatim perduelles habendum utrumque, non ſtatim reum agendum, aut peragendum. Ecce illos adeſſe, gratiam & miſericordiam illis quærere, favorem & patrocinium Senatus implorare, judicio cum Principe nolle contendere, ſatis jam pœnarum à familia ſua luitum eſſe, cum frater ſuus ſine capite jaceat, qui ſi quid diliquiſſet, quod ipſe non excuſaret, ad judicium tamen Regis & Senatus in Comitiis potius aſſervandum, & non privatim in illum animadvertendum fuiſſe. Sufficeret jam ſanguis unius, & ad hoc vulnus omnium non adderen-

rentur plura. Iam cætera se patienter laturos, & Deo, ac iniquis suis fatis aut etiam peccatis acceptum laturos. Ad quæ verba Ioannis Zborovii obortæ sunt, & Senatui universo & nunciis Terrarum lachrymæ, ita ut gemitus ferè multorum exaudirentur. Quâ tamen comploratione penè publica, non solùm nihil motus, sed etiam suboffensus Rex visus erat. Perstante igitur in Sententiâ Rege, causa in judicium introducta. Patroni etiam, amici, & Affines Zborovii in conspectum prodierunt. Cum quibus erat Stanislaus Sandivogius Czarnkovius & Iacobus Niemojovius vir facundus, & magnæ apud Nobilitatem authoritatis. Qui ut Instigatoris Rzeczycii accusationem adversus Christophorum Zborovium attentâ aure excepit, præfatus se non ut advocatum, sed amicum Citati in medium prodiisse, & ne ob id malam Regis gratiam iniret precatus. Omnia quæcunque ad causam Zborovii sustinendam, & Regem aut placandum quod quidem unicè studebat, aut reum judicio capitali eman-

Processus Iudicialis contra Zborovios.

emancipandum pertinere judicabat de foro, delatore, Citatione, evasione juratoria, & alia id genus Iuris remedia adhibebat. Duravit hoc judicium non paucis diebus; & quæ Niemojovius inducebat, Decretis Regiis, tanquam causa diffugii præcidebantur. Non desistebat Archiepiscopus Gneznensis, & Leopoliensis Regem pro Zboroviis singulis ferè diebus adire, & precari. Sed & Nuncii Nobilitatis magna ex parte Zboroviorum causæ faventes per Kazimirscium Privilegium Alexandri Poloniæ Regis, quo is actionem Regis cum Nobili certis terminis circumscripserat, in subsidium causæ Zborovianæ adductum urgere cœperunt. Contra afferebatur, illud jam obsoletum, & antiquatum esse. Et cum post multas, & varias disceptationes de eo Senatus ferè omnis consentiret. Nunciis etiam Regis, & Senatus nomine Archiepiscopus Leopoliensis, Castellano Vilnensi Palatinis duobus, & Castellano Podlachiæ ita satisfecit ut & Nuncii in ea declaratione acquieverint, &

 con-

concordes ad Senatum accedere eſſent parati, ſed in craſtinum à Rege ipſo dilato negotio non nihil poſtea variarunt. Poſt multas utrinque Iudicii ventilationes, & nullo jam ſubſidio Chriſtophoro Zborovio relicto, de Salvo conductu Ioannes Zborovius Regem & Senatum interpellat, quod etiam ab initio fecit quem Rex in ſcripto conceſſit, modo ut ſe ſiſteret judicio, integrum illi forè accedere, & recedere, uſque ad Sententiam definitivam. Salvus conductus ob Regis integritatem, ut verbis ita rebus validus, & nulla ex parte ſuſpectus videri poterat; Amicis tamen Chriſtophori ideo non ſatisfaciebat, quod plenam recedendi facultatem, non exprimebat, & ſententiam ita accelerari timebant, ut ei poſt unicum acceſſum, amplius vi literarum Salvi conductus recedendi facultas non eſſe poſſit. In his tractatibus quidam familiaris Chriſtophorum Zborovium adit, & tanquam rem certam cognoverit, etiamſi Salvum conductum Regis habuerit, eum in media

Chriſtophorus Zborovius mavult fugere quam judicatum pati.

Arce antequam ad Regem acceſſerit, obtruncatum iri aſſeverat. Id à Rege negotii aliquibus datum eſſe, quod falſum omninò, omnibus bonis viſum eſt. Quare Chriſtophorus nihil moratus, quale de ſe judicium fieret ſummo mane cum non vulgari ſuo & amicorum Comitatu animo ferociente diſceſſit, & ſe in Moraviam contulit. Quod Archiepiſcopos cum lateret ad Regem ingreſſis, & adhuc pro Chriſtophoro deprecantibus, & pœnitentiam ejus pollicientibus, ipſe Rex eum jam nec ſine declamationibus receſſiſſe, retulit. Et ſic in Senatu, cum in aliis aliorum, tùm in eadem cauſa, uti Ius dictabat, proceſſum eſt, teſtimonia producta, audita, juratum eſt, multa lecta, ingeſta etiam Hiſtoria Saluſtiana de Catilinaria conjuratione, magno auditorum tædio ex ſcripto recitata. Niemojovio jam patrocinium deponente, advocatis jam feſſis, Palatino Poznanienſe adhuc utcunque factum excuſante poſtea tamen abſente, & in hoſpicio ſe recludente, quod tamen Archiepiſcopus

Leopolienſis, pro ſua cum illo amicitia graviter in eo reprehendit. Res Chriſtophori deſperato loco eſſe cœperunt. Præcipua, quæ illi objiciebantur, fuerunt, conſpiratio in necem Regis, quæ tamen ex literis ipſis quæ publicè lectæ ſunt, non ſatis clarè conſtabat; quam tamen Samuelis Zborovii ipſemet ante necem omnis culpæ in Chriſtophorum rejectæ confeſſione Inſtigator confirmabat: Communicatio conſiliorum cum Moſchorum Duce in Vrbe Lubeca contra Regem & Regnum facta, & teſtimoniis quibuſdam comprobata, quin etiam puncta quædam à Moſchico Nuncio accepta, & alia quædam, inter quæ & inſultus ejus in Archiepiſcopum Leopolienſem cum Crotoſio, dum apud Imperatorem Nuncios Regni agerent commemoratus fuit. Quam mentionem Archiepiſcopus Leopolienſis non ſatis æquo animo tulit, quippe qui in ea cauſa, nec Actor, neque teſtis, neque ſocius adhiberi voluerit unquam, imo & Cancellarium aliquoties rogaverit, ut quæ inde

Capita accuſationis Zborovianæ.

inde ſecutura eſſent cautius introſpiceret, & omnia illis fere animo candido prædixerit, quæ poſtea eventus ipſe declaravit. Archiepiſcopum Gneznenſem etſi in convocatione Lublinenſi, tanquam delatorem Machinationum Zborovianarum propoſuerint, in hac tota actione, ne ſemel quidem hoc nomine compellarunt. Ipſe etiam cum ea de re expoſtulare cum Rege poſſet, maluit ſuperſedere, ut nè exulceratis utrarumque partium animis Reipublicæ jam non mediocriter malè affectæ ſua propria cauſa gravius faceret. Cancellarius ſe per Actionem Vniverſam ſermonibus ſuis excuſando, & interdum etiam ad ea, quæ de ſe dici audiret vehementius, & ardentius reſpondendo: quippe qui etiam Rege ipſo teſte, & multis amicis Zboroviorum, quin & Ioanne ipſo eorum Fratre, & Samuele ab exilii pœna liberandi, & Chriſtophori in re petita adjuvandi, & ſuſpiciones de iis factas extinguendi cauſa nihil non feciſſet, multis ſatisfaciebat. Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ, licet vetus

vetus quædam simultas inter eum & Zborovium esset, Regem ad Paternam, & clementem correctionem à severiore animadversione in omnibus suis sententiis leniter avocare nitebatur. Cæteri Senatores, ut quisque vel in Cancellarium vel in Zborovios erat affectus, ita sententiam suam dicebant, plures tamen in Regis, & Cancellarii partibus erant, præsertim posteaquàm Christophorus se è Comitiis subduxisset. Itaque ejus contumacia, ab Instigatore probata, convictus eorum quæ illi objiciebantur, honore mulctatus est: octo ferè Nunciis Nobilitatis decreto illi obnunciantibus, quod ante eum diem nunquam Decreto Regio factum est. Agebatur etiam in iis Comitiis, tum de compositione inter Status Spiritualem, & Secularem, tum de Confœderatione in causa Religionis, sed utrumque indefinitum remansit, & ad alia Comitia rejectum. In medium consessum, *Albertus Bolognetus* Cardinalis Summi Pontificis Legatus fuit ingressus, & de jurisdictione, de decimis Sta-

Infamis Christophorus Zborovius.

Bolognetus Cardinalis causam spiritualium in Comitiis defendit.

Status Ecclesiastici verba fecit; sed neque hoc modo quicquam perfectum, aut obtentum est. Comitiis igitur nullo operæpretio, non tam rebus quàm tempore ipso lege præscripto finitis, homines exasperatis animis domos quisque suas repetierunt. Et Cardinalis Bolognetus, è Polonia Romam redire jussus, Successorem Nuncium accepit Hieronymum Bovium Episcopum Cameriensem. Causa Andreæ Zborovii Curiæ Marschalci, nam & is citatus fuerat, ita in suspenso relicta fuit. Rex nè quid Zborovius exul ex Germania turbarum, antequam se in Lithvaniam reciperet, daret, Cracoviam, ad quam sciebat Zboroviorum magnas parentelas esse, se contulit, & Ius Civibus dicebat, & negotia Transylvanica tractabat. Illic Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ, Vir multorum opinione magnus, pietate, certè & prudentia, & rei bellicæ scientiâ nemini secundus, mortuus est, magno Ecclesiasticorum, potissimum autem Solikovii Archiepiscopi Leopoliensis, qui cum eo con-

Nicolai Mielecii mors.

Gregorius XIII eodem anno obiit.

junctiſſimè vixit, dolore. Eodem anno & Gregorius XIII Summus Pontifex ex hac vita migravit: in cujus locum ſuffectus eſt Cardinalis Montaltus Felix, qui Sixtus V appellatus eſt. Ad eum Ioannes Demetrius Solikovius Archiepiſcopus Leopolienſis cum obedientiæ profeſſione nomine Regis & Regni Orator miſſus eſt. Cardinalis Bolognetus, ſive jam ante hac adverſa valetudine correptus, ſive nuncio mortis Gregorianæ perculſus, iter in Vrbem agens, & diuturniore febre debilitatus, ad Villacum vitam cum morte commutavit, Vir multis ingenii dotibus ac humanitate ſingulari cumulatiſſimus. Rex ſe Grodnam in Lithvaniam contulerat, & cum bellum Moſchicum mente agitaret, quod illic ſe non malas partes habere intelligeret, ſed implicatus ſuis in Polonia non mediocriter rebus hæreret, Andream Bathorium Nepotem ſuum Cardinalem Romam etiam deſignat, per quem de belli Moſchovitici rationibus cum Summo Pontifice communicat. Qui quanti Regem Stephanum

Vt & Cardinalis Bolognetus.

Rex Grodnæ meditans novum contra Moſchos bellum.

num faceret, cum aliis rebus in Oratorem ejus, tùm verò luculentiſſimo ſubſidio per Cardinalem illi ad exitum belli Moſchici promiſſo abundè declaravit. Fuit is jam annus CIƆ IƆ LXXXVI, quo & Rex ad futuri anni initium comitia Regni Varſaviam indixerat, & Archiepiſcopus Leopolienſis perfunctus ſua Legatione Romæ in Poloniam revertebatur, ubi adhuc morantem rumor Regiæ mortis invenerat; ſed is poſtea lætiore nuntio refutatus fuit. Comitia indicta in Regno & Regem viventem reperit, & ut Ruſſicis Conventibus adeſſet curavit, quod etiam ipſum facere Rex per literas volebat. Magnus erat quaſi converſis animis hominum ubique terrarum conſenſus ad ſubſidia belli Regi ferenda; Andream etiam, & Balthaſarum Regios nepotes pro Incolis Regni ſuſcipiendos, & voto ſuo potiturus Rex in Regni Comitiis fore videbatur; ſed, ut ſunt Res humanæ, Rex morbo correptus, ſub ipſos ferè Palatinatuum Conventus, quarto die poſtquam ægrotare cœperat è vita migra-

Annus 1586.

Mors Regis Stephani.

vit

vit *die* XII *mensis Decembris*. Zamoiscius Cancellarius triduo pòst, Regis morte cognita, eam per literas, & Stanislaum Zolkievium, filium Palatini Belzensis, Archiepiscopo Leopoliensi nunciat. Vacabant Palatinatus Russiæ, & Podoliæ. Quorum ille jam antehac Stanislao Zolkievio Patri Palatino Belzensi à Rege missus fuerat, sed is eum nondum receperat, neque tamen literas remiserat. Igitur Regis morte subolefactâ, nec dum Archiepiscopo Leopoliensi patefacta, se Palatinum Russiæ profiteri cœpit, Archiepiscopo Leopoliensi primo omnium ei hunc honorem habente, & apud Nobilitatem tuente. Stanislaus Karnkovius Archiepiscopus Gneznensis pro munere suo Regis mortem literis suis Senatoribus denunciat, Convocationem de more Varsaviam ad illud idem tempus quo Comitia Regni, si Rex vixisset habenda fuerant, nempe ad proximam Quadragesimam, indicit. Quam præcessit Leopoli Convocatio à Palatino novo Russiæ indicta. Cui cum Cancellarius, tum Consiliarii, &

Leopoliensis Convocatio.

& numerosa nobilitas adfuit. In qua variè tùm de Palatinatu Zolkievii, tùm de potentia Cancellarii, & periculis Reipublicæ, Duce Nobilitatis, *Nicolao Iaslowiecio*, Capitaneo Sinatinensi disceptatum fuit. Postremò tamen, omnia moderante Archiepiscopo Leopoliense, Cancellarius à se omnem suspicionem Hungaricarum practicarum amovit, & ipse Zolkievius consensu & favore Nobilitatis in Palatinatu Russiæ confirmatus est, & Tribunal Iudiciorum in Interregno institutum fuit. Sed tamen ad Convocationem Varsaviensem ab Archiepiscopo Gneznensi indictam non pacatis animis itum est. Erant inter Opalinium Marschalcum Regni, & Stanislaum Gorcanum Palatinum Poznaniensem aliquot annorum inimicitiæ, eas in hoc statu periculoso Reipublicæ, tentabant aliquoties Senatores per Archiepiscopum Leopoliensem, ac Episcopos Vladislaviensem, Plocensem, & Camenecensem, item per Palatinos Tenczynium, Cracoviensem, Szafranecium, Sendomiriensem, Mniscium Ca-

Convocationem Varsaviensem privatorum dissessiones turbant.

Castellanum Radomiensem tollere, ipsosque reconciliare, præsertim cum Opalinius judicium & arbitrium amicorum admitteret. Sed cum Palatinus Poznaniensis duriorem se ad omnia & inexorabilem præberet, res ad optatum exitum perduci non potuit. In hac Convocatione Solikovius Archiepiscopus Leopoliensis, *Rosam auream* à Summo Pontifice benedictam Dominicâ primâ Quadragesimæ, in Templo augustiore Sancti Ioannis, in maxima hominum frequentia Reginæ Annæ ante majus Altare genua flectenti, ac præsenti Legato Apostolico Hieronymo Bovio, Episcopo Camerini, & Episcopis aliquot solenni ritu, & ceremonia tradidit, ac Reginæ, ejusque familiæ benedixit. Quam Regina postea eidem Varsaviensi Ecclesiæ donavit. Propositio absente ob valetudinem adversam Archiepiscopo, ex scripto nomine ipsius recitata est, omnes ad concordiam mutuam, & succurrendum Patriæ Rege orbatæ, admoniti. Lithvani ab initio non aderant, & de brevitate temporis

Solikovius Auream Rosam nomine S. S. Pontificis offert Reginæ Annæ.

poris

poris questi decem dies se expectari voluerunt. Quibus cum & Sendomirienses adstipularentur, & moram hanc Opalinscius Regni Marschalcus impatientius ferret, audiens etiam Zborovios tempus adesse ratos, quò se de injuriis acceptis vindicarent, cum magnis irarum spiritibus adfuturos recessit. Archiepiscopus Primas identidem languidus Senatum accedebat. Andreas Zborovius Curiæ Marschalcus in Senatum ingressus, memoriam dolorum paucis refricans, quæsivit à Senatu, cùm sit paratus ad Citationem sibi datam jure respondere, & innocentiam suam probare, annuente Gneznensi & Leopoliensi Archiepiscopis, cæteris silentibus, assedit, & bacillum è manu servi accepit. Vt igitur Marschalcum Regni Opalinscium discessisse, Cancellarium Zamoiscium abesse viderunt, & absuturum credebant: Zborovii in hoc nervos suos intenderunt, ut quamplurimos fautores suæ adversus Cancellarium causæ conciliarent, ipsumque apud omnes quàm maxima invidiâ one-

Zboroviorum in hac Convocatione factiones.

onerarent. Vnde si quis Senatorum moderatius sententiam dixisset, quâ vel Stephani Regis nomen & merita commemoraret, vel læsos ac injuriâ alios ab aliis affectos, ad condonandas hoc tàm periculoso Reipublicæ statu injurias, moneret, tanquam ea sibi injuria diceretur sinistrè interpretabantur, & conviciis, ac dicteriis, quasi voces adulatorum petebant. Quod nihil moratus Archiepiscopus Leopoliensis cum *Regis Stephani nomen, ob bellicas virtutes & animum ad gloriam natum, apud omnes Christianos Principes, domum ipsam Austriacam celeberrimam, postremo & ipsum Summum Pontificem illustrem esse diceret, non obscurè etiam ejus acta, studia, & consilia, tanquam Reipublicæ nostræ, & nomini Polonico gloriosa comprobavit. Et cum legationem ipsam se Rege mortuo, jam referre non posse diceret, ipsis Ordinibus omnibus, qui Rempublicam nostram totam repræsentarent, referens dixit, se cum obedientia Regis & Regni ad Summum Pontificem Iesu Christi in terris Vicarium, & Petri Apostoli legitimum Successorem profectum fuisse, ejus mirificam erga Regem & Regnum hoc bene-*

Solikovii Oratio in ista Convocatione.

benevolentiam comperisse. Morte talis, & tanti Regis, orbitate hujus tàm nobilis Regni, quod Vallum esset ab hostibus totius Orbis Christiani, ac totius Europæ maximè doliturum, & quod studium in Stephanum Regem, si vixisset, declarare erat paratus, idem in Regnum ipsum, hoc tàm necessario Reipublicæ tempore, non dubitaret animo prompto & paterno esse declaraturum, modo ut ii concordiam mutuam servent, Reipublicæ saluti invigilent, de Sancta Apostolica Sede, quæ Mater & Magistra esset omnis Christianæ professionis, rectè & humaniter sentiant. Et quoniam subolefecerat à multis se vulgò traduci, quasi apud Summum Pontificem adversus Hæreticos Poloniæ Regi subsidia conciliaret, & cum Regina divortium Regis procuraret, ad ea obiter respondit. Neque Regi sapienti & considerato aliquid ejusmodi in mentem venisse, neque sibi quicquam hoc nomine mandatum fuisse, & si aliquâ imprudentiâ, vel malâ aliquâ suggestione, quid ejusmodi sibi injunctum fuisset; non se adeò servili animo esse, ut, quod ipsi non probaretur, procurandum susciperet. Pontificem etiam ipsum abundè ostendisse, misso munere sacrato Reginæ, quod eam potius

potius florere, quàm mœrere, honoratam, quàm exauthoratam esse cuperet. De persequendis vi Hæreticis nihil etiam actum esse, sed vim totam hanc in docendo, persuadendo, monendo, ac Deum pro illis orando sitam esse, quæ si vis appellanda est, ipsi judicarent. His dictis consuluit, ut in Dei nomine tempus, & locum Electionis Regis, concordibus suffragiis designent, & Primati indicenda permittant, pacem tàm publicam externam, quàm internam tueantur, & more majorum suorum, secundum antiquas considerationes manuteneant. A privatis injuriis, vel judicandis, vel inferendis, cùm nullus Rex sit, cùm omnes æquali jure se gaudere existiment, cùm facilè ansæ maximo Reipublicæ malo, vel ex levi initio dari possint, abstineant, condolendum potius, & compatiendum esse bonis filiis positæ in doloribus matri. Zboroviorum fautores non satis æquis animis, & hanc, & similes aliorum Senatorum Sententias accipiebant, & in favorem Cancellarii, cui ut Samuelis mortem, ita infamiam Christophori, & universam calamitatem domus suæ imputabant, fieri interpretabantur. Vnde plerumque obstrepere, & cla-

Acta Convocationis Varsaviensis.

clamoribus interrumpere tales sententias solebant. Et cùm Statum Spiritualem moderatiorum consiliorum suasorem esse viderent, hoc tota illa convocatione laboratum est, ut & causæ Spiritualium deteriorem conditionem efficerent, & Cancellarii potentiam, quam sibi infestam videbant, in arctum redigerent. Igitur non pauca, quibus tota Senatus authoritas subruebatur, conscripserant, quibus & confœderationem de Religione acriorem, & pacis publicæ conditiones tales inseruerunt, ut ipsis quidem liceret omnia in adversarium, illi autem contra eos nihil. Multa interim aliis de publico largiebantur, & sibi usurpabant; quæ ut quis Senatorum subscribere renuebat, magnis vocibus & impetu in eum insurgebant. Summâ ferè potestate in omnibus rebus uti voluerunt. Scriptum etiam quoddam ab iis, qui mediatores sese inter Cancellarium & Zborovios authoritate Senatus fecerant, confectum, cum utrique parti æquo jure servire potuisset, si Cancellarius ad-

adfuiſſet, detortis quibuſdam in ſuam partem verbis, quibus Cancellarium capi poſſe putabant, ſubſcribendum Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac reliquis offerebant. Quod dum illi, nè cauſam Cancellarii inauditi iniquiorem redderent, facere recuſarent, magnis Zboroviorum querelis, & populari invidiæ exponebant. Vrgentibus igitur illis Archiepiſcopus Leopolienſis, ſe quod Archiepiſcopum Primatem, & quidem jam ut crederet ſatis invitum, & debilem in lecto ſubſcripſiſſe videret, etiam ſubſcripturum eſſe, dixit. Sed memores eos eſſe juſſit, illud nec apud Cancellarium, neque apud homines alios, quicquid abſente parte conſtituatur, quicquam roboris habiturum eſſe. Ita ſubſcripſit, & alii poſt eum omnes. Eodem modo & ordinationes quaſdam violentas, approbandas propoſuerunt. Interea Archiepiſcopus Gneznenſis in dies majore morbo conflictabatur, & jam etiam propè de ejus vita deſperabatur. Et Plocenſis ac Præmyſlienſis Epiſcopi, adverſam valetudinem

dinem cauſati, Senatum amplius ingredi noluerunt. Vladiſlavienſis, impetus laxioris linguæ hominum non ferens, relicta convocatione domum eſt profectus. Archiepiſcopus Leopolienſis cum Epiſcopo Camenecenſi erant reſidui, quibus concilium illud non ſatis ſobrium inſtabat, ut ſcriptum illud convocationis, quod receſſum appellabant, cui & confœderatio religionis inerat, ſubſcriberent. Quibus ipſi reſpondebant, convocationem iſtarum rerum cauſa non eſſe indictam, ſed tantummodò ut pace generali procurata locus & tempus eligendi Regis deſignaretur. Interea per Bernardum Maciejovium jam ex aulæ Vexillifero ſeculari Sacerdotem factum, & qui tandem etiam amborum Archiepiſcoporum favore poſt mortem Victorini Wierzbicii Epiſcopi Luceorienſis paulò pòſt Epiſcopus fuit deſignatus, ad Archiepiſcopum Gneznenſem mittunt, & obtinent, quod Archiepiſcopus Primas Regni, tumultuante, & omnia innovante convocatione, electionis futuri Regis diem,

Receſſus Convocationis Senatores ſpirituales cum ſecularibus committit.

diem, & locum edixit, Varſaviæ ad diem XIX menſis Auguſti. Quod ubi concilium illud audivit tanto vehementius Archiepiſcopo Leopolienſi, & Epiſcopo Camenecenſi inſtare cœpit; ut receſſui extremam apponeret manum. Certamine illo totus fuit extractus dies, & ita vehementer actum in illo fuit, ut ſeculares illis minitarentur, eos convocationis diſſipatæ fore reos, niſi ſubſcriberent. Archiepiſcopus Leopolienſis contra, poſt multas à ſe datas reſponſiones, poſtremò caputium è collo ſuo abreptum abjecerit, & pectus nudatum oſtenderit, ſe priùs & Archiepiſcopatu, & vitâ ipſâ ceſſurum, quàm his talibus conſtitutionibus, contra Deum, leges Patriæ honeſtas, utiles, & ſalutares, ac rerum ordinem Reipublicæ intervertendum, eſſe ſubſcripturum. Idem poſt eum Epiſcopus Camenecenſis dixit. Illi dum ſuos conatus in caſſum abire cernerent, rem cum illis moderatius agere incipiunt, & quandam verbis tegentem virus formulam illis præſcribunt: quâ lectâ, cum ſe

Quem Spirituales ſubſcribere nolunt.

ſe de ea deliberaturos reſpondiſſent, reliquorum tractatione dies abſumptus. Die ſequenti Archiepiſcopus Gneznenſis, jam uti videbatur omnibus corporis deſtitutus viribus, Varſavia evectus eſt. Et Leopolienſis cum tantis certandum ſibi non ratus amplius, etiam idem ſecundo die fecit, commendans omnia Deo. Re intellecta coactus eſt Senatus etiam die feſto, & de diſceſſu Leopolienſis Archiepoſcopi variæ querelæ habitæ, & Kaſimirſcius publicè, quod literas receſſus ei in hoſpitio ſuo ſubſcribendas non exhibuerit, objurgatus. Et cùm jam de Camenecenſi Epiſcopo plus ſibi pollicerentur, is etiam, ſe cibo ſumpto ad eos affuturum præ ſe ferens, ſubitò exceſſit, & ad pagum ſuum Decanonium ſe contulit. Decreta ferè poſt Leopolienſem fuit miſſio, cum literis receſſus, ut ſubſcriberet; ſed unus tandem rem diſuaſit, commemorans ejus duram in Senatu conſtantiam, & vehementiam. Gneznenſem non putarunt hoc nomine compellandum, quod vel mortuum in

Ideo relicta Convocatione domum eunt.

in via crederent, vel ita languidum, ut nihil agi cum eo posset. Ad Camenecensem igitur mittunt, & rogant, ut misertus Patriæ periclitantis redeat, & saltem aliquo consilio ei rei succurrat, ne Convocatio, ne Electio denique ipsa, apprimè Reipublicæ necessaria, hoc discessu Episcoporum in dubium, ac in incertum recidat, & Respublica in mediis tempestatibus relinquatur. Spargebatur jam rumor, Archiepiscopum Gneznensem esse mortuum. Anxius Camenecensis utrum eligendum sit, vicit seipsum, & ad illos reversus tanquam Pater Patriæ salutatus, ægrè quidem primò, postea tamen Recessui subscripsit, adjectâ conditione, propter bonum pacis. Quam rem postea in Electione & Archiepiscopus Gneznensis, & reliqui omnes Episcopi in eo gravissimè reprehendebant, solo Leopoliense Archiepiscopo eum ut suum Episcopum, & qui jam unus ferè omnium, cum se solo omnem adversariorum impetum, absentibus cæteris sustinuit, excusante, & in meliorem par-

Subscripsit tandem, sed ægrè Episcopus Camenecensis.

partem interpretante. Talem, & tàm bellum finem illa Convocatio habuit, indubitata species Electionis futuræ. Iam tum Regina Nepotem suum ex Sorore Sigismundum Sueciæ Regis filium Ioannis Tertii, omnibus ferè Senatoribus commendare cœperat, verita nè ab aliis externis Principibus Regni ambitu præveniretur. Inde accingere se omnes ad Electionem Regis, & Russia tota fuit pro Regis Sueciæ filio, Archiepiscopus Leopoliensis, quod Russiæ præcipuas familias inimicitias gerere videbat, multos reconciliabat. Vt ante Sienienium cum Mielecio Palatino, Sieniavium cum Lesnioviis: ita tunc Ioannem Herburtum Vexilliferum Leopoliensem cum Zolkievio. Et quoniam turbulentam fore Electionem omnes pronunciabant, nisi Zamoiscius Cancellarius cum Zboroviis reconciliaretur, aut saltem ad aliquos moderationis terminos reduceretur, Stanislaus Szafranecius Palatinus Sendomiriensis cum Nicolao Firleio Castellano Biecensi cum scripto illo, quod in

Regina Anna Sigismundum Sueciæ Principem Senatui commendat.

Reconciliatio inter Zamoiscium & Zborovios tentata; sed frustra.

in Convocatione authoritate & nomine Senatus confectum fuit, Cancellarium adierunt, rogantes ut illi subscriberet; sed ille renuit, quòd videret in eo speciem magnam inæqualitatis contineri. Diu & multum inter utrasque partes laboratum est, neque tamen quicquam profectum. Duobus milliaribus à loco Electionis partes ambæ abesse, & ad Concilium nisi tum cum vocatæ fuissent adesse debuerunt. Electionem etiam ipsam absque eorum præsentia non debuisse fieri illis promittebatur. Sed ut duæ factiones fuerunt, ita ex omnibus Regni partibus diversis cum animis homines ad Electionem confluebant. Electionis tempus Zamoiscius Cancellarius aliquot diebus prævenit, & adducta secum non contemnenda militum manu, non procul à loco Concilii castra posuit, valloque se circumsepsit & munivit. Convenit & Senatus utriusque Status, & frequens Nobilitas, venit & Stanislaus Gorcanus Palatinus Poznaniensis, cum Zboroviis; quin & Christophorus Zborovius qui

qui ab Electione, si ratio illa mutuæ pacis conservandæ constituisset, abesse debuerat, adductis peditibus Italis, Germanis, & Bohemis. Adfuerunt Oratores externorum Principum, Cæsaris, omnium Principum Austriæ, Magni Ducis Moschoviæ. Adfuit & Summi Pontificis Sixti v Legatus *Annibal de Capua* Archiepiscopus Neapolitanus, Domui Austriacæ addictissimus. Hoc egit Senatus, cum ambas partes adesse in Comitiis videret, ut ne ad Concilium & Senatum accederent, nisi alternis vicibus; quod aliquandiu ab eis, idque ægrè admodum, præsertim à Palatino Poznaniensi, nam Cancellarius sese in potestate Senatus esse profitebatur, impetratum fuit. Modum inchoandi à pace publica edicenda Senatus sumere volebat. Sed Nobilitas in partes duas divisa; altera è præscripto ordinationis in Convocatione factæ, id fieri debere contendebat; altera contra, perperam multa in Convocatione facta causans, aliam rationem, eamque hactenus usitatam urgebat. In hac divisione *Acta novæ Electionis.*

 Sen-

Sententiarum ſucceſſit & alia major, nam cum tumultuantes ferri non poſſent à manſuetioribus, quorum ii Cancellario non obſcurè favebant; illi contra Zboroviis: pars moderatior ſeceſſit in aliam partem, & ſeparatum conſeſſum ſibi fecerunt. Quod cùm vehementiores viderent, & dicteriis eos inceſſebant, & illis *Nigri Concilii* nomen, ſibi verò *Generalis* titulum impoſuerunt. In quo Generali conceſſu carpebatur Cancellarius, & hoſtis ferè Patriæ, ac bonorum omnium declarabatur. In illo quod Nigrum vocitabant, in quo erant Officiales, Dignitarii, & Capitanei plures, & licet paucior numero Nobilitas, tamen omnes moderatoria ſequentes conſilia, & majore etiam erga Senatum in omnibus ſermonibus ſuis utentes reverentiâ, defendebatur, & patrocinium ejus fiebat. Multi in ea Electione ex populo ſtudebant Moſcho, & Archiepiſcopus idem diu præferebat, ſi de Religione Catholica ſuſcipienda aliquod indicium daret. Fruſtratus tandem opinione ejus, poſtea cogitatio-

Concilium Nigrum & Generale.

tionem idem depoſuit. Senatus altercationis, & diſceptationis aſſiduæ de Convocationis authoritate, quam alii ſummam, alii nullam, alii aliquam eſſe volebant, pertæſus: tùm quòd Lithvani ad Concilium, ratione nullâ adduci poterant, etſi nullo ferè die ad Concilium non conveniebant, tamen aliâ ſibi viâ ad removenda Electionis impedimenta progrediendum eſſe putavit. Igitur & major ejus pars, & cujus integritati fidebatur, à Marſchalco Regni Opalinſcio ad Karnkovium Archiepiſcopum Primatem convocabatur: ubi penitiore & ſecretiore conſilio uſi, cum per tumultus ad ordiendam & proſequendam Electionem accedi non poſſit, de perſona in Regem nominanda propemodum inter omnes convenit. Zboroviorum factio, ut id animadvertit, & Nobilitas Concilii illius Generalis, uti ſe appellabat, diem certum eidem Campeſtri, quod *Rokoſz* dicebant, inſtituerunt, ad quod quemque è Senatu, ut in medio eorum adeſſet, evocabant. Qui ſatis animi habebant, adfuturos

Rokoſz.

ſe non ſolùm Concilio Senatus,& Nobilitatis univerſæ lubenter, & quod è ſalute & uſu Reipublicæ ſentirent, liberè ſe, uti in loco libero,dicturos reſpondebant; ſed ſe hanc tam impotentem & ſine ratione Oſtraciſmi inſtitutionem, quam toti Reipublicæ exitioſam viderent, probare non poſſe. Igitur etiam ad hunc conſenſum privatim de Rege vel Erneſto Auſtriæ Archiduce, vel Sigiſmundo Sueciæ Regis filio faciendo, ita Opalinſcio Duce animati fuerunt Senatores, ut cum apparatu armorum die proximo Lunæ à Nobilitate deſignato ad Senatum adeſſent, & rei eventum expectarent. Mittebat etiam Senatus ad Lithvanos, ut ad ſe accederent, & ſe in hoc periculo Reipublicæ ab eis non ſegregarent, ſed ii res ſuas agebant, & poſt principia ſtare malebant. Attulerant Zborovii jam animis deſignatum Maximilianum Archiducem Auſtriæ. Sed eum Moſcho tectum fovebant, nullam Maximiliani, frequentem verò Moſchi mentionem facientes, quâ re multi inter eos decepti,

cepti,

cepti, uti finis poſtea declaravit, fuerunt. Die *Rokoſi* ſeu Oſtraciſmi adſunt frequentes in Senatu, adſunt etiam Nigrum, & Generale, (ut jam eo nomine ea vocemus) Concilium; tractantur alia, quæ tantùm ad rem præſentem pertinebant; præſertim obſequium Cancellarii per Ioannem Dulſcium Theſaurarium Regni erga Senatum declaratur; eum ſilere, cùm ſciat adverſarios ſuos in Senatu adfuturos, ſi mandet Senatus, vel adfuturum, vel abfuturum, & omnia ſua inſtituta ad tranquillitatem Reipublicæ accommodaturum. Nondum eo finiente ſermonem apparuerunt copiæ Zboroviorum cum Gorcano, bellica tormenta in campo verſus Senatum diſpoſita. Monente Ioanne Solikovio Leopolienſe Archiepiſcopo, ferè publicè jam ſuos premi: Opalinſcius aſſurgit, & equum inclamat. Idem Archiepiſcopus Gneznenſis, & reliquus Senatus facit. Vix equos ut quiſque poterat in re ſubita ac tumultuaria ſcandunt. Senatorum autem Equites in ſuis ordinibus ſtabant, qui neutram

par-

partem respiciebant, ascenderant. Cancellarii etiam Exercitus è castris egressus appropinquare cœpit. Iam & Ducis Ostrogiæ, Palatini Kijoviensis, ac filiorum ejus copiæ ab occidente in ordine stabant, & Opalinscii milites; ab eadem parte Palatinus Sendomiriensis Stanislaus Safraniecius cum Nobilitate Sendomiriensi etiam medium tenebant. Quos inter Archiepiscopus Gneznensis, tùm per submissos, tùm per se obequitans consistere jubet, rogans & cum lachrymis obtestans, nè Rempublicam in discrimen adducant. Multis igitur impetum tàm Zboroviorum, quàm Zamoiscii mitigantibus, & nè se spectaculo orbi universo exhibeant, adnitentibus; occidente sole, infestæ acies morâ interjectâ tepefactæ, ad suas stationes redierunt. Et hoc modo Rokossium illud furientis Nobilitatis seu Generalis Concilii in nihilum recidit. In hoc diei illius tumultu Brzezinius Vladislaviensis Canonicus Episcopi Cancellarius interfectus, dedit occasionem ut Archiepiscopus Gneznensis

Quod in fumum abiit.

nensis noctu submissis quibusdam suorum facibus admotis illud tectum Concilii exuri jusserit; Et alium deinde locum, tanquam feliciorem consiliis continuandis, delegerit; qui tamen postea fuit mutatus. Nam Stanislaus Czarnkovius, Casimirscius, & alii quidam ita molesti Senatui fuere, ut Archiepiscopus cum aliis Senatoribus ad Lithvanos, qui jam propius castra admoverant, ac in eodem campo constiterant, conciliandæ sententiæ causa Beati Laurentii sacro die accesserit, ac si res illic maturiores invenisset, in eorum castris Regem edere in animo habuerit. In tanto enim furore ac tumultu populari, ubi nec initium, nec finem invenire licebat, quâcunque tamen unitatis servandæ arte utendum sibi putabat. Sed, cum neque tum id successerat, & in Zboroviorum partibus nulla etiam spes rerum tranquilliorum apparebat, qui etiam nec Reginæ precibus, nec Senatus authoritate movebantur, Archiepiscopus Gneznensis, cùm in castra Cancellarii, aut saltem eum

locum qui Concilio habendo delectus fuit, majorem Nobilitatis partem confluxisse, & implorata gratia Spiritus Sancti jam præfato honore Ernesti Archiducis, quem ob studium popularitatis à Sigismundo Regis Sueciæ filio, Nepote Iagiellonum erga domesticum Regem affectæ, hac in parte sententiarum pluralitate vinci constabat, in Sigismundum dici sententias intelligeret, sequenti die mane eò profectus *Sigismundum Tertium Regem Poloniæ* in Dei nomine renunciavit, & in Vrbem ad Deo laudes cantandas sese recepit. Re intellectâ Zborovii frendere, & ad locum illum, quem secundùm Archiepiscopus insederat, Concilio suorum convocato, quem etiam non solùm Archiepiscopi designatione sacrum, sed etiam exterorum Principum Legationibus auditis, validum, & à Republica approbatum esse censebant, Lithvanis nonnullis, præsertim Cardinali Radziwilo, ac fratribus ejus in suam sententiam pertractis per Iacobum Voroniecium nominatum Episcopum Kijoviensem, Maxi-

Sigismundus III Rex Poloniæ renunciatus.

ximilianum Archiducem, Regem etiam Poloniæ, & Magnum Ducem Lithvaniæ renunciant, & cum clausam Civitatem reperissent, quod vesperi esset, apud Patres Bernardinos laudes Deo ferunt; Et Regem electum per Zborovium Marschalcum, & voce etiam præconis proclamant. Sueci in Arce cum Oratoribus Sueciæ Regis: Maximilianistæ in Suburbio cum Oratoribus Austriacis res suas componunt. Et præmisso Martino Lesniovolio, qui jam etiam in Interregno in Sueciam à Regina fuerat missus ad Regem, seu ad ducendum, seu ad littus maris excipiendum. Oratores designantur Hieronymus Rozdrazovius Vladislaviæ, Albertus Baranovius Præmysliensis, Laurentius Goslicius Camenecensis Episcopi, cum aliis secularibus Senatoribus. Cancellarius rebus omnibus provisis, quas præsenti negotio subservire intelligebat, Cracoviam sese confert, ubi se includit ac munit. Visliciam Conventus dictus, ubi Electione Sigismundi approbata, omnes ad arma su-

At Zboroviana factio Maximilianum renunciat.

Vislicienfis Conventus.

 men-

menda, ſub pœnis de expeditione bellica, excitati fuerunt. Maximilianiſtæ decretâ etiam ad ſuum Candidatum legatione eum in Regnum advocant. Erant inter eos non pauci, qui hoc eorum facto, quaſi ab ſe celato offenſi, eorum ſocietati renunciabant: & ſe ibidem in eodem loco, in quo

Neutrales. Archidux renunciatus erat, *Neutrales* ſunt profeſſi. Quorum caput erat *Ioannes Herburtus* Vexillifer Leopolienſis, qui cum utramque hanc Electionem, tanquam nec ſuo modo, nec bono jure factam improbarent, & hoc contrario ſcripto ſuo confirmantes, & inter homines variarum Provinciarum Regni dimiſſo, poſtea & Iutroſſovienſi Conventui in Majori Polonia, & Pinczovienſi in Minore, & Wiſnienſi, Rzeſſovienſi, Leopolienſi Conventibus in Ruſſia occaſionem dederant. Iam autem octiduo ante Leopolienſis Archiepiſcopus ab illa Electione tum in Erneſtum Archiducem, ſi is eligi poſſet, quem magnis laudibus efferebat, & in Sigiſmundo poſtremò ſententia dicta receſſerat, & ipſe hac tam

tam diſſona, & ſuæ præſertim Ruſſiæ exitioſa Regum nominatione, non mediocriter exacerbatus. Nicolaus Iaſlowiecius Capitaneus Sniatinenſis, etſi prius pro partibus Sigiſmundi, antequam Rex renunciaretur, in gratiam Reginæ ſtetiſſet, tamen poſtea ob ſuas cum Cancellario ſimultates ſe Maximiliano dedidit, & milites in ejus uſum conſcripſit. Lithvani in incerto relicti domos quiſque ſuas animis perturbatis abierunt. Per Poloniam & Pruſſiam totam de Candidatis & Regibus Electis ubique hominum digladiationibus omnia plena fuerunt. Iam Maximilianus Archidux adventare, & caſtra ſua ante clauſas Cracoviæ Vrbis portas ponere, velitationes facere. Zborovios ac eorum fautores confluere, qui jam ante & Staniſlaum Comitem Tarnovienſem Caſtellanum Sendomirienſem Brzeznicíæ cœperant, & Viſliciam occupaverant, & multas Nobilium domos diſpoliaverant, paſſim clara fama loquebatur. Quin & ſub idem ferè tempus ſub Gaſparo Maciejovio abſente, Arcem

 Lu-

Lubowlam Scepusiensem Spytek Iordani, qui prius in Electione castris Cancellarii militabat, & posthac quadam re offensus ad hostes ipsius Zborovios defecerat, intercepit, eamque nomine Maximiliani occupavit. De Sigismundo omnia incerta, & obscura fuerunt. Non defuit quoque sibi Maximilianus per Iasloviecium, cujus magna erat apud suos authoritas, & per Stanislaum Pstrokonscium per Russiam universam, ita ut brevi omnem ejus nobilitatem sibi devinxerit. Quæ cum statutis Visliciensibus quibus è domo evocabantur, & pro Sigismundo contra Maximilianum sub pœnis bellicis bellum movere juberentur, vehementer offenderetur, quod barbaris vicinis uxores ac liberos, ac domos suas expositum iri, se aliò evocatis, judicabant. Wisniam primò, deinde ad Rzesoviam, unà cum Archiepiscopo Leopoliense, & Dignitariis Russiæ frequentes admodum, postremò ad Leopolim Comitiis habitis neutram Electionem approbarunt. Etsi ejus qui prius permissione Dei pec-

Russia propter Statuta Visliciensia fit neutralis.

peccata populi punientis Diadema Regium acceperit, agnoscendum esset imperium, non prius id fieret, quàm ut pœnæ Vislicienses relaxarentur, & alia gravamina sua constitutione publicâ tollerentur: offenderat autem eos, & Regalium ante tempus Maximiliano à suis Electoribus facta attributio: hâc sanè re in utriusque partis offensione incurrerant, nam & Suetici in gratiam Archiducis, & Archiducales in gratiam Suecii, hoc Russos medium amplexos esse arbitrabantur, & neutri ullas eorum rationes admittebant. Venit tandem Sigismundus electus Gedanum, per mare, navibus, cum Sorore Virgine, & juratis in manu Hieronymi Rozdrazevii Episcopi Vladislaviensis pactis, Cracoviam ire pergebat. Exceptus ab Archiepiscopo Gneznensi Lenciciæ deducebatur. Maximiliano adhuc ad Monasterium S. Tumbæ hærente, & suis in Vrbem irruptionem tentantibus, qui etiam, semel tentatâ irruptione, cum sua clade repulsi, ac tormenta eorum ablata Cracoviam ad Can-

Sigismundus Rex Gedanum venit.

Ac porrò Cracoviam pergit.

Cancellarium deducta fuerunt. Præcedebant Regem milites Opalinſcii, & aliorum, quibus Chriſtophorus Zborovius cum Staniſlao Stadnicio ad Prædiboriam occurrens conſertis manibus in eis magnam ſtragem ediderunt. cujus rei ad Regem nuncio allato Petricovia Ravam cum ſuis receſſerat. Tandem tamen converſis rebus, & apud Zborovios, & Stadnicios fama omnia de Rege majora faciente, & ipſi ad Maximilianum Archiducem reverſi ſunt, & Maximilianus ipſe ſuâ ſponte à clara Tumba, cum militibus ſuis morbo confectis, Czeſtochoviam verſus, cum Rex jam in nova Civitate Corcini eſſet, receſſit. Miſſi erant à Rzeſovienſi Conventu Nuncii ad utroſque Electos Principes: ii qui ad Suecum fuerunt deſtinati eum jam Cracoviæ invenerunt; qui ad Archiducem Czeſtochoviam uſque, ſed præter mentem ſuorum, pervenerunt. Redierunt autem utrique Leopolim ad Conventum ſub id tempus deſignatum, quod edicto Maximiliani omnibus coram ſe ſiſten-

A Zborovianis in itinere præpeditur.

Leopolienſis Conventus.

ſiſtendi ad claram Tumbam, & obedientiam profitendi, ſub pœnis capitalibus præſtitutum fuit. A Sigiſmundo electo, omnia plana & pacata, bonæque ſpei plena allata ſunt. A Maximiliano ſplendidiora multo, & magis ſpecioſiora propoſita. Advenerunt etiam à Sigiſmundo Procopius Sieniavius, & Ioannes Plaza de Mſticzow ad Conventum illum cum literis ab Electo, quem tamen jam corona Regia redimitum aſſeverabant: Sed cum ab iis, quæ apud Ordines Ruſſiæ agenda, aut dicenda erant imparati eſſent, à Leopolienſi Archiepiſcopo informatione habita, in medium ingreſſi, omnia ſunt nomine Regis jam coronati polliciti quæ in rem eorum eſſent. Protulerunt etiam Nuncii Ruſſici, Senatorum, qui ad latus Regis erant, ſcriptum, quo cavebatur rebus eorum, neutiquam verò acquieſcentibus Ruſſis, nam & Iaſloviecius potenti manu advenerat, cauſamque Maximiliani fortiter tuebatur, & Archiepiſcopi conatum ad concordiam tendentis ſubruebat, quin

Ad quem Regis Sigiſmundi Legati miſſi.

At pergit nihilominus turbare Iaſloviecius.

& intercipiendis Leopolis agitare consilia videbatur, nam & tormenta bellica secum adduxerat, quæ contra Portam Halicien-sem disposuerat, & militem denuo con-scribebat, & Nisovios milites, qui è præliis Moldavicis evaserant, ad se evocabat. Et Leopolis hac de causa non parvo tempore semper clausa, & custodiis ac vigiliis, diurnis, ac nocturnis, suscepto etiam præsidio Equestri, tùm à Magistratu, tùm à loci Capitaneo manebat. In quo periculo positum se & Vrbem Archiepiscopus videns, duo hæc fecit, præsertim cum Iasloviecium in partes Regis coronati traducere non posset. Alterum quod ex Vrbe ad Concilii locum, qui ante Vrbem erat, misit, & ex ejus medio aliquos ad se mitti postulavit, nam tum ægrotabat, qui cum ad eum quindecim venissent, sententiam suam illis aperuit, quâ eorum omnia acta hucusque collaudavit. Verum cum jam controversiæ finem factum esse, & Deus quem regnare voluit, abundè ostenderit, altero jam à Regno abeunte, altero Diademate

Archiepiscopi tamen prudentia Russi in partes Regis tracti.

demate Regio insignito, modo pœnæ Vislicienses, & alia eorum gravamina tollantur, jam illos ad agnoscendum Regem illum, & pacem cœlitus oblatam adhortatus est. Quam sententiam Archiepiscopi cum aliqui collaudassent, aliqui in sua neutralitate temerè persistere velle viderentur, die sequenti in eorum consessum per Fratrem suum Sigismundum Solikovium, & alios familiares in scripto ultimam sententiam suam misit. Quâ missâ amplius quid illis consilii dare debeat, se non invenire significavit. Ita & Ioannes Herburtus Vexillifer Leopoliensis, qui Conventus illius erat director sanè moderatus, cum Capitaneo Leopoliensi Nicolao Herburto, Castellano Haliciensi Andrea Sienienio aliam sententiam sequente, qui & ipse cum his duobus Rzessoviæ, Senior ejus Neutralistarum partis fuit institutus, scripto ultimo cum Archiepiscopo caventes rebus Russiæ apud Regem Coronatum, finem negotio fecerunt. Alterum, quod Nisovios milites cum Herburto

Et Nisovii milites.

Leopolienſi Capitaneo, & Conſtantino Duce Oſtrogio, ad quos ſolicitandos in partem Maximiliani Iaſloviecius erat profectus, ad ſe ſic etiam innuente Rege pertraxerunt, & poſtea pannis, ac ſericis, inter eos partitis, eos in fide Regis coronati retinuerunt. Lithvani prius variis conventibus ſuis variè actis, & inter electos Reges, utri ſe adjungerent hærentes, diutius Cracoviæ expectabantur, tandem tamen ſuos Oratores Cracoviam mittunt, & de induciis cum Moſcho XV annorum, quas illi pacti erant, deque Livonia cum Polonis medium partienda, ſcriptum quoddam à Rege conſequuntur. Trahebantur Comitia Coronationis Cracoviæ, & cum Maximilianus intra fines Regni ſubſiſtens in omnes adhuc partes, quas fortuna monſtraſſet, circumſpiceret, Zamoiſcius Cancellarius, & Dux belli, ad eum amovendum à Rege, & Senatu mittitur. Quem is jam ultra fines Regni, Cæſaris ditiones aliquot milliaribus, in Sileſiam ingreſſum ad Byczynam Oppidum conſerta cum eo manu

Denique & Lithvani ad Regem accedunt.

Maximilianus à Zamoiſcio captus.

manu profligavit, atque ex Oppido in quod ſe è profligata acie receperat ſponte ſuæ ſalutis, & dignitatis cauſa, cum Oppidi immineret direptio, exire juſſum, captivum accepit, & præter Regis & Senatus voluntatem in Ruſſiam duxit, & in Arce Craſnoſtavienſi liberali cuſtodiæ commendavit. Capto Maximiliano, Ruſſiæ illi motus facilè conquieverunt, & ut primum Regiæ literæ cum Conſtitutionibus Coronationis, quibus etiam Ruſſiæ incolis cautum abundè fuit, ad officia Capitaneorum, atque præcipuè Leopolim venerunt, & ſubſellia Iudiciorum aperta & promulgata ſunt, & Officiales Terrarum jurejurando fidem ſuam Regi obſtringebant, non paucis erubeſcentibus, quod ante tempus Archiepiſcopi ſui monitis non obtemperaverint. Acriter erat in Coronatione contra adverſæ partis homines, tanquam contra perduelles, decretum, iis etiam certa ratio præſcripta, qui neutri ſe parti addixerant. Sed neutrum deinceps è ſcripto legis aſperius urgebatur. Czauſius

Czausius Turcicus ad Regem Sigismundum.

è Turcia interea in Poloniam missus apud Petrum Moldaviæ Palatinum substitit, ambigens ad quam se partem conferret, adhuc enim Maximilianus in Regno erat, Archiepiscopum Leopoliensem Palatinus, missa ad eum secreta legatione, consuluit, quorsum sibi Czausius dirigendus esset, se ejus consilio pariturum. Archiepiscopus rectà eum Cracoviam ire suasit, ubi jam electus Rex adesset, & sine dubio coronatus; ubi Senatus ferè omnis, tribus vel quatuor exceptis. Ita Czausius à Cæsare Turcarum Cracoviam, necquicquam sibi paratis periculis, pervenit, & Regi Sigismundo Regnum gratulatus, amicitiam sui Principis ei detulit. Iasloviecius etiam Archiepiscopum Leopoliensem, ut suæ fortunæ rationem habeat, orat. Postquam itaque Respublica ad portum jam qualemcunque appulisse visa esset, Archiepiscopus Gneznensis post discessum Cancellarii ad Maximilianum, confectis ferè omnibus, quæ in Coronatione fieri oportebat, domum se contulit. Sepulturæ etiam Stephani

phani Regis mortui dies dicta, & Leopoliensis Archiepiscopus Cracoviam ad Regem Sigismundum venit, apud quem, etsi à multis se tanquam factionum istarum per Russiam authorem traduci intellexisset, tamen sine ulla justificatione obsequium suum Regi detulit, Russiæ Senatores, Clerum, ordinem Equestrem, & populum universum, ac ipsam Vrbem Leopolim commendavit. Si quâ fide hactenus in obsequiis Regum, ac Reipublicæ, quâ integritate versatus sit, deinceps etiam erga Regem Sigismundum esse futurum, & dicturum & facturum omnia, quæ Regi & Regno expedire judicaverit. Iustis igitur Regi Stephano persolutis, & in Senatu atque Iudiciis, quæ paulò acrius instituì videbat, ad maximam moderationem Rege & Iudicibus admonitis, quibusdam etiam liberatis discessit, iterum non paucis in Russia dolentibus, quod eum Cracoviam euntem concomitati non fuerint. Qui non solùm illic honorificè acceptus fuit, sed etiam Iasloviecii in gratiam Regis re-

Archiepiscopi Leopoliensis ad Regem adventus.

recipiendi, non vulgaria fundamenta jecit: imo & apud ipſum Cancellarium multi ſunt ex adverſa parte in gratiam Regis recepti, multò autem plures ad Comitia Regni rejecti. Et quoniam incertus adhuc Status Reipublicæ videbatur, Archiduce Maximiliano negligentius ſui liberationem procurante, imò per illam indulgentiorem captivitatem, multos Polonorum ſibi in dies in publico verſando concilante. Ejus rei admonitus Summus Pontifex miſit Cardinalem Aldobrandinum ad Imperatorem Rudolphum Maximiliani fratrem, & ad Regem Sigiſmundum, ut inter eos de Maximiliani liberatione ageret. Loco igitur & tempore certo ad Bendzinum utriuſque partis Commiſſarii conveniunt. Vbi mediatore Cardinali pax conſtituitur, tempora jurisjurandi à Rege & Imperatore præſtandi, Conſiliariorum utriuſque Principis pronunciandi, Lublovię reſtituendi, dimittendi Maximiliani, ejuſque Iurisjurandi & viſendi à Rege Sigiſmundo Maximiliani deſignantur. Interea

Cardinalis Aldobrandinus mediator inter Sigiſmundum Regem & Maximilianum.

Co-

Comitia Regni indicuntur, atque Polonici Commiſſarii à Bendzino revertuntur: Hieronymus Rozdrazevius Epiſcopus Wladiſlaviæ cum aliis, mediis Comitiis advenit, & ipſe Cancellarius magna cum pompa: cui omnes Senatores & Aula tota Regis obviam effuſi ſunt, exceptis Archiepiſcopis. Pacata ad illud tempus Comitia fuerunt, & in eventu tranſactionis Bendzinenſis vel non finitæ, vel finitæ in effectum deducendæ, concordibus Ordinum ſuffragiis Regi vectigal conceſſum, & oblatum fuit. Tandem verò poſt actas publicè cum aliis Commiſſariis, qui hanc tranſactionem tractabant, tùm verò maximè & quidem peculiari quodam modo, ipſi Cancellario gratias, & deſignatis etiam è Senatu ad conficienda ea quæ ex hac tranſactione reſtabant; ad Cæſarem deſignati, Cardinalis Georgius Radivilus, & Nicolaus Firleius Palatinus Cracovienſis: ad deducendum è Regno Maximilianum Laurentius Goſlicius Epiſcopus Camenecenſis, nominatus Chelmenſis, Pa-

Comitia anno 1589.

 lati-

latinus Cracovienſis, Sandomirienſis: Cum Rege ituro Lublinum alii. Archiepiſcopus Gneznenſis domi remanſit. Ad negotium novi Regis eligendi deſcenſum eſt. Iterumque ad alia negotia cum Lithvanis, Livonibus, Pruſſis. De adhærentibus Maximiliani lex prolata nonnihil aſpera. Item executio Henricani Decreti contra Samuelem Zborovium approbata. Multorum cauſæ quæ Cracoviæ ad Comitia rejectæ fuerunt, in Iudicium introductæ: cum quibus ut Rex mitius ageret, Senatus, ac præcipuè Eccleſiaſtici interceſſerunt, non paucos ipſe Cancellarius commendavit. Ita Iaſloviecius Capitaneus Sniatinenſis, Samuel Stadnicius, Staniſlaus Ciolek, Spytek Iordan, Marſſevius, & alii multi in gratiam Regis recepti ſunt. De modo Electionis Regis tractantibus, Regem Catholicum, ſive caſu, ſive de induſtria excluſum eſſe cum Archiepiſcopus, & Epiſcopi, ac reliqui Senatores & Nuntii Catholici vidiſſent, & Cancellarius privatâ ſua ſententia in medio Senatu præ-

præſente Rege, tanquam id nullo Catholicorum periculo fieret, ad concordiam ambas, tàm Catholicorum quàm Hæreticorum latiſſime deductis rationibus partes adducere conaretur. Et duce Archiepiſcopo Gneznenſe cæteri Epiſcopi graviſſimæ ſententiæ illius reſtiterunt. Eo tandem litigando, & rixando incalefactis animis deſcenſum eſt, ut Cancellarius dixerit: Eia ſi exprimendus ſit Catholicus, & hoc exprimendum eſſe, ut domus Auſtriaca in ſempiternum ab Electione Polonica excludatur. Quod Archiepiſcopus Gneznenſis, nulli bono, & commodo Reipublicæ fore oſtendit, & probavit. Et jam patere apertè, eum hac ſuâ ſententia ſibi cavere, & non Reipublicæ cauſam agere. Plura erat dicturus Archiepiſcopus, ſed ab Epiſcopis rogatus, reliquum ſermonem abrupit. Ita exacerbatis utrinque animis, Comitia in profundam noctem extracta, & ſub ipſam ferè auroram finita, Regiquè, & Nunciis Nobilitatis valedictum eſt. Petierat à Senatu Rex Sueciæ, ut cum

 Re-

Congressus Sigismundi Regis cum Patre Iohanne.

Rege Poloniæ filio suo in Livonia sibi per eum congredi liceret, quod id utriusque Regis & Regni res exposcere viderentur: igitur & hoc Regi fuit permissum. Vectigal verò antea concessum, tandem in Palatinatibus relictum, neque de eo quicquam Regi numeratum fuit. Iterum Nuncius inde ad Imperatorem missus Ioannes Ostrorog, & ab Imperatore alius advenit, Rexque juravit in conditiones pacis. Profectus deinde est Rex Lublinum, ubi Archiducem Maximilianum salutavit, eumque convivio excepit, solus etiam eo peracto cum solo privatim colloquutus est. Ad Imperatorem Cardinalis Radivilus, & Firleius Palatinus Cracoviensis abierunt. Rex etiam in Livoniam cum Rege Sueciæ Patre suo Revaliæ congressurus, cum aliquibus Senatoribus, & splendido Aulæ comitatu per Lithvaniam profectus est mense Iulio. Mensis Augusti die XVIII Tartari Crimenses, Præcopienses, & Nahayscenses in Podoliam & Russiam magno exercitu incursione facta, eam longè

Tartari Podoliam & Russiam populantur.

longè lateque populati, tantùm quatuor miliaribus à Leopoli reversi sunt, pluribus simul locis ad Buscum, Dunajovium, Haliciam cæsi, & multi eorum capti Archiepiscopo Leopoliensi, & Cancellario adducti fuerunt. Non fidebant homines Cancellarii Summi exercituum Præfecti præmonitionibus, itaque ex improviso oppressi fuerunt. Multi Nobiles cæsi, multò plures abducti. Ad Bavorovium Castellum cohortes quædam stipendiariæ, Strussis & Podlodoviis Ducibus accurrerant, & cum Tartaris congressi strenuè pugnarunt. Iacobus Strus in confertum agmen equo invectus obtruncatus periit, cæteri autem cæsi, aut capti. Frater Czari Crimensis, & Duces belli, quos Murzas vocant, ibidem complures perierunt, & statim ex loco illo recesserunt. Fuerunt & alibi à Nisoviis cæsi. Advocarat ad se Leopoliensis Archiepiscopus Nobilitatem, tandem & à Zamoiscio Cancellario Exercitus Regni Præfecto, nè Reipublicæ deesset petiit, quod quidem post factum,

 fa-

factum videbatur. Adfuit & Nicolaus Herburtus Palatinus Russiæ jam ante hac aliarum rerum causa in urbe, cujus Bucikovum unà cum Kozlovio Archiepiscopi, & Narajovo Sieniaviæ Heduigis Palatinæ Russiæ Oppidis, & aliorum Nobilium multis, jam exusta fuerunt. Sed major vis Russiæ, Podoliæ, & Pokuciæ imminebat. Nam Heder Bassa Biglerbegus Europæ Turcarum Imperatoris cum magnis copiis Danubio trajecto Tartarum denuo revocabat, Moldaviæ & Valachiæ Principes, mandatis Turcarum Imperatoris, ad arma contra Polonos sumenda excitabat. Abundè constabat ut Tartarorum irruptionem, mandato Imperatoris fuisse factam, ita & Beglerbegum missum ad ulciscendas injurias, & damna à Nisoviis, jam denuo post Comitia, ut jam taceatur Tehinia, Oczakob devastatæ, & Bialogrodum toties infestatum suis subditis bis tervè cum aliàs, tum Kozlovii illata. Et Beglerbegum hunc ægrè tulisse, quod Tartari ejus adventum non expectarint. Eo

Biglerbegus Russiæ imminet.

Eo enim modo se imparatos majoribus damnis se afficere potuisse sibi persuadebat. Rex Vilnæ jam erat, cum illi de Tartarorum irruptione nuncius perferretur, doluit, & literas ad Senatores, & Nobilitatem dedit. Sed ipse à suscepto ad Patrem itinere, quod jam Patrem suum mare trajecisse intellexerit, non destitit. Qua ex re magnâ se apud omnes homines oneravit invidiâ. Zamoscius præfectus Exercituum accurrens Leopolim cum Senatoribus Russiæ Archiepiscopo, Palatino, & Castellanis Præmisliense, & Haliciense, consilio communicato, Cameneciam Nicolao Iasloviecio Capitaneo, cujus Capitaneatus jam non paucis annis Nicolaus Brzescius adversâ valetudine laborabat, commendat, illique tormentis, pulveribus, peditibus fert suppetias. Leopolim etiam Vrbem, ob eminentem ex alto separatim Arcem, opere subitaneo Arcem cum Vrbe aggere conjungendo munit, & se Vrbi includere velle præ se fert. Milites tum secum nullos habebat, nam sub id ferè

Zamoiscius Leopolim munit.

ferè tempus Maximilianum è Polonia abeuntem concomitabantur. Archiepiſcopus intentionis quidem Cancellarii ignarus, tamen cum id quod appareret, minus illi probaretur, eum hortatur, nè ſe intra muros includeret, ſed convocatis ad arma omnibus in campum exiret, & contra hoſtem progrederetur, & ſubſidia potius in alio loco, quàm Leopoli expectaret, maximum deſperationis fore indicium Leopolim nunc muniri, ac Summum Præfectum in ea includi. Cui cum quadam vehementia reſpondit Præfectus, ut omnia, ſic bella juxta vires paranda eſſe; ſi ſe igitur in campum egredi, & Beglerbego occurrere Archiepiſcopus vellet, daret ſibi XL millia Equitum, & XX millia Peditum, & ſi adhuc Beglerbego impar futurus eſſet, tamen cum his Dei fultum præſidio non ſolum Trebouliam, ſed & Cameneciam ipſam ſeſe profecturum; imò & ulterius ad Danubium ipſum uſque cum barbaris fortunam tentaturum eſſe. Reſponſo Summi Præfecti excepto Archiepiſco-

piſcopus, dixit, futuros eſſe homines, modo ut voluntas adſit. Convocetur ad arma Nobilitas Ruſſiæ. Pecunia quartæ partis quotacunque tandem in Curia habeatur, militi diſtribuatur; aliam, unde haberi poſſit Theſaurarius Regni provideat. Georgium etiam Mniſcium, Palatinum Sendomirienſem cum non contemnendo equitatu adventurum, Stadnicios & aliam Nobilitatem in dies in horas ſua nomina ad defenſionem Patriæ profiteri. Cum Archiepiſcopum ſerio rem agere videt, reſpondit, modò adſint, qui militiæ ſe addicant, ſe propriam pecuniam eſſe daturum. Quam, utprimum Archiepiſcopus cum aliis Senatoribus certificationem de ea à Republica reddenda ſubſcripſit, ſtatim adferri, & numerari mandavit. Iam igitur omnia expeditiora eſſe cœperunt, & quoniam ſi ſemel cum Turca Martis alea experiendum ſit, de continuando bello, & majoribus ſubſidiis comparandis, maturè & celeriter providendum eſſe nemo non videbat. Omnes Archiepiſcopum in pub-

Archiepiſcopi Leopolienſis in his Reipubl. periculis animoſitas.

 lico

lico consilio, cui multa Nobilitas adfuit, rogarunt, ut is in Majorem Poloniam ad Ordines Regni profectus, de acceptis jam damnis ab hoste, & de imminente majore adhuc Reipublicæ periculo omnes admoneret, authoritate sua apud illos efficiens, promptis & paratis subsidiis non tantum Russiæ laboranti, sed universæ etiam Reipublicæ periclitanti ab eis succurri. Non dubitabatur, id & ipsum Summum Præfectum candidè ab Archiepiscopo petere. Archiepiscopus igitur Leopoliensis alacriter petitioni suorum annuens, & ut illi se absente, quæ suarum partium essent, unà cum Summo Præfecto strenuè facerent, omnes adhortatus. Ad Primatem Regni Karnkovium Archiepiscopum Gneznensem suum Veredarium cum literis præmisit, se adventare scribens; Reipublicæ salutem in hoc verti. Vt primo quoque tempore Senatores & Nobilitas in unum locum convocentur XI diem Septembris instare, quo in Palatinatibus omnibus Iudices Tribunalis eligendi sunt, in ea loca mit-

mitteret, & Conventum commodo loco, & ut ipse adesse possit, simili tempore indiceret. Archiepiscopus Gneznensis, in omnes Reipublicæ casus semper intentus, acceptis Archiepiscopi Leopoliensis literis, ejus consilium, & petitionem amplexus, missis ad Conventus Palatinatuum suis, & Archiepiscopi Leopoliensis literis, Lenciciam ad diem XX Ordines Majoris Poloniæ convocat. Pervenerat jam antea peropportunè ad Palatinatus Sendomiriensis Conventum Opatovium Archiepiscopus Leopoliensis, ibique non vulgare subsidium obtinuit. Ad Conventus istos omnes Terrarum, Rex, cum nihil de contributione publica in manu haberet, nihil adhuc etiam de Tartaris & Turcis cognitum habens, Nuncios suos miserat, rogans sibi de ea contributione aliquam partem donari. Sed cùm esset promissio pacis à Turcis & Tartaris, alia quàm res ipsa ostenderet, Nunciis etiam Regis prout quisque prudentia valebat, nonnulla dissimulantibus, nonnulla præfationibus adhi-

hibitis moderantibus, è nullo ferè Conventu quicquam Regi depenſum eſt. imò à non paucis Regi, quòd in periculo Reipublicæ ei adeſſe noluerit, & revera jam non potuerit, improperatum fuit. *Conventus Lancicienſis, ejuſque Acta.* Lanciciam frequentes admodum tàm Senatores, quàm Nuncii omnium Palatinatuum convenêre, & audito Leopolienſe Archiepiſcopo, quantis partes illæ detrimentis & jam affectæ ſint, & quàm multò triſtiora & acerbiora illis adhuc immineant, niſi ſubitò & potenti totius Regni occurſu Turcarum copiis cum Beglerbego appropinquantibus obviam itum fuerit: Archiepiſcopus Gneznenſis Regni Primas omnes ad opem fratribus, & toti Reipublicæ ferendam vehementi, & gravi oratione cohortatus eſt,& modum etiam,quomodo id ex uſu Reipublicæ fieri debeat ac poſſit propoſuit. Aderat præter alios Senatores illi Conventui Albertus Laſcius Siradienſis Palatinus, qui explicatis dolis & artibus Turcarum, ſibi jam pridem notis, quibus in occupandis utuntur Regnis, turpitudine,

dine, fœdaque ſervitute, quâ occupatos premunt, non magnum eorum vires infringendi negotium, modò ut ne animus & conſtantia deſit, vires & fortunam non defuturam magnos ſtimulos Nobilitati addidit. Adfuit & Andreas Opalinius Regni Supremus Marſchalcus, qui manum operi ita appoſuit, ut jam non verbis ſed rebus ipſis opus eſſe quiſque intellexerit. Idem quotquot aderant & alii conſiliarii animo alacri & ſuaſerunt, & prompta ſtudia & operas ſuas obtulerunt. Igitur tali dato initio, non diverſus ſequutus eſt eventus: nam poſtea Nobilitas, cum ad ſuas partes receſſiſſet, non longa mora interjecta, ita concordibus & unitis animis acceſſit, ut gratiis actis ab omnibus & ſingulis Terris, Archiepiſcopo Gneznenſi de tanta vigilantia in periculis Reipublicæ, collaudatoque Archiepiſcopi Leopolienſis ſtudio,& aliorum qui convenerant Senatorum, in legem Agrariam plenis animis convenerint,ita ut ſi jam viribus omnibus tàm potenti hoſti reſiſtendum

 ſit,

sit, ex decimo quoque agri manso singuli armati equites; ex Civitatibusque & Oppidis certo numero pedites expedirentur, & statim ad occurrendum hosti milites in quolibet Palatinatu, & terra, è prompta jam & parata vectigalibus decretis pecunia conscripti, ocius ad Summum exercitus Præfectum mitterentur. Et ut inposterum semper certa ratio belli contra Turcam, ac expedita constare possit, ne quis inæqualitate oneris gravari se conqueri jure posset, etiam agrorum commensurationem in proximè futuris Comitiis se procuraturos esse omnes alacribus studiis spoponderunt, & scripto publico firmaverunt. Qua re tota scriptis Sigillis firmata, atque actis & codicibus Iudicialibus Arcis Lenciciensis inserta, Archiepiscopus Leopoliensis omnibus gratias egit, & scriptum ejus rei authenticum non solùm in Russiam ad Supremum Præfectum Exercitus, & Senatores Collegas suos, sed etiam ad Palatinatus Cracoviensem & Sendomiriensem misit. Re feliciter & ex animi sententen-

tentia, imo etiam præter multorum opinionem confecta, cum alii minoris Poloniæ dicti Palatinatus læti, tum maximè Provincia tota Russiæ vehementer exhilarata, ac præcipuè Dux Exercitus majore animo de reprimendo Beglerbego omnem curam & sollicitudinem cum Russiæ Nobilitate, & militibus quos jam habebat, egit. Interea Maximilianus Archidux è Regno egressus vel absentia Regis, quem multus rumor erat amplius non reversurum esse, permotus, vel alia de causa; fretus etiam suorum, qui illi occurrerant viribus, & nostrorum paucitate animadversâ, & fortasse etiam nostrorum quorundam, quos sibi benevolos reddiderat, instinctu, injuratus discessit. Neque multo post Acangibegus jussu Beglerbegi propius cum suis velitibus accedens Sniatinum exussit, incolas mercandi gratia magno numero in Oppido versantes captivos abduxit, neque subditis Palatini Moldaviæ pepercit. Quos omnes Beglerbegus in Turciam non habito delectu remisit. Et hoc

Sniatinum à Turcis exustum.

Beglerbegus retrocedit.

hoc facto, certior à Palatino factus, magnas Polonorum instare copias ad Zamoiscium Cancellarium & Ducem belli Czausium Bassam misit cum literis, quibus causam adventus sui descripsit, monens ut Orator Regni ocius ad portam Turcicam se conferret, spem pacis faciens, si Nissovii exterminati, & arces finitimæ dejectæ fuerint, & ipse vix expectato sui Czausii reditu, Danubium versus reverti cœpit; eoque tumultuariè trajecto, in Sylistriam sese recepit.

EIVS-

EIVSDEM

IOANNIS DEMETRII SOLIKOVII

Archiepiscopi Leopoliensis

TESTAMENTVM.

Quorum non debeo, nec volo oblivisci in morte.

I. *PRopriæ salutis & perseverantiæ in Fide, Spe, Charitate..*

II. *Deprecationis offensarum omnium, quamvis neminem puto me læsisse, nisi ex zelo. Deus tamen omnia novit.*

III. *Remissionis perfectæ iis, qui me offenderunt, & ad cordis amaritudinem adduxerunt, puto cum merito meo nullo. Fuerunt autem tales ex omnibus Statibus. Parcat illis Deus qui nobis omnibus pepercit.*

IV. *Regis mei postremi, cujus tempore morior benedicat illi Dominus, mortuo requiem, vivo longinquam felicitatem opto. Sigismundo Augusto, Annæ, Henrico, Stephano, Sigismundo tertio servitum est fideliter à non molesto exactore.*

V. *Regni, & Patriæ carissimæ, servet te diu sospitem,*

tem, claram, & liberam Dominus. O Patria chara, multoties, & in multis à scopo aberrasti, & te turpiter gessisti, & ad servitutem fores aperuisti, quia cultum veri Dei in multis locis deseruisti, & consilia recta contempsisti.

VI. *Coepiscoporum meorum. Deus vobis, ô fratres honorandissimi, det vigilantiam super vos & super greges vestros, ratio stricta imminet. Orate Dominum Deum, & pro meis culpis plus aliis præstare, debui, minus vobis omnibus præstiti, juvate Fratrem vestrum mortuum qui vivus semper vobis satisfacere volui.*

VII. *Capituli mei, Cleri mei, & Ovium Christi Domini mihi commissarum. Multis non placui, nec tam placere, quàm prodesse volui, amarior interdum sed amans vestri fui. Nunquam cuiquam nisi ejus moribus offensior. Imperfecti quærite viam perfectionis. Mediocres proficere satagite. Perfecti Philautiam cavete, humilitatem retinete, supercilium deprimite. Societas Nominis Iesu ora pro me, & da veniam zelo meo, cui facultas defuit. Fratres Rosarii, Sanctæ Annæ, Corporis Domini, Sancti Ioannis Baptistæ, Misericordiæ, Cordigerorum oro, me Deo commendate, ut defectus meos remittat.*

Col-

Collegarum Senatorum. O senes Patriæ, Patriam antiquo modo colite, moribus, & virtutibus antiquis conservate. Rebus propria nomina date. Concordiam servate, Æquitatem diligite, Æqualitatem custodite, Ambitioni occurrite. Iustitiæ semper fautores estote. VIII.

Matris Academiæ Cracoviensis. Debeo tibi quidquid fui, Polonus Poloniæ, tua tantum ubera lambens, tibi me & nunc commendo, moriens & mortuus, plus debui quam præstiti, Sarciat imperfectum meum Sancta Anna Mater Matris Dei, & Sanctus Florianus. IX.

Fratrum Consanguineorum, & Familiæ. Parcite si vos juvare non potui, feci quod potui, facite vos quod potestis in alios pari fide. Nemo vestrum fame mortuus, & nec morietur fidens Deo. Patriæ nè deestote. Præmia non expectate, nisi sempiterna, virtuti ea non deerunt, vel toto mundo reluctante. X.

Familiarium & Domesticorum. Parcite, quia & ego peperci, si nocui admonendo, ecce jam taceo. Si retinui præmium, vos ipsi testes. si quis, me inscio in se injurius, sibi det veniam, ad clavum ne impingat, caveat. XI.

Pauperum & Scholarum. Tenuem dispensa- XII.

torem,

torem, ſed veſtri boni cupidum habuiſtis, ſit gratum orare pro me, unum Ave Maria. Nemo pauper niſi animo. Fortuna nulli injuriam facit, cui Deum ſequi lubet.

XIII. *Funeris proprii. Sepelite ut vultis, ego mortuus non ſuperbio, eſca vermium, qui vivus inter Reges, & Principes me terram ſemper memini.*

Gratitudinis erga Deum Optimum. Quia hominem alicujus loci eſſe voluit, Chriſtianum fecit, Sacerdotio ornavit. Paſtorem ſui populi conſtituit, gubernavit, defendit in variis caſibus, miſericorditer ſublevavit.

Gratias etiam ago.

I. *Parentibus pro diligenti educatione.*

II. *Præceptoribus. Adamo Laſcenſi, Ioanni VVirzeyski, Lucæ Cieſzkovio, Benedicto Kotarski, Iacobo Gorſcio, Obrebio, Bodzencinio, Szatkovio, Alberto Novicampanio pro benevolentia & amore ſingulari.*

III. *Dominis meis, Iacobo Vchanski Archiepiſcopo Gneznenſi, Valentino Dembinski Regni Cancellario, Ioanni Chodkievvicz Caſtellano Vilnenſi, pro primordiis exercitiorum in Republica.*

Pa-

Patronis. Staniſlao Hoſio Cardinali, Martino Cromero, Varmienſis Eccleſiæ Epiſcopis, Staniſlao Karnkovio Archiepiſcopo Gneznenſi, Hieronymo Rozrazenski Cujavienſi, Petro VVolski Plocenſi, Laurentio Goſlicki Poznanienſi cum quo in ſtudiis Cracoviæ crevi. Petro Koſtka Culmenſi, Valeriano Vilnenſi Epiſcopis, pro declarata in multis gratia, benevolentia, ac beneficentia. IV.

Amicis. Ioanni Koſtka Palatino Sendomirienſi, Nicolao Mieleczi Palatino Podoliæ ac Tenczyniis Fratribus, Senatoribus; Staniſlao Zolkienski Caſtellano Leopolienſi, Nicolao Herburt, Caſtellano Præmiſlienſi, Capitaneo Leopolienſi, Ioanni Leſniovvski Pocilatori Leopolienſi, Staniſlao Kraſinski Archidiacono Cracovienſi. Pro omni ſtudio, & interdum pro inſignibus officiis. Mielecio verò pro inſigni Eleemoſyna in pios uſus Eccleſiæ, & Pauperum Leopolienſium. V.

Conſanguineis & Fratribus. Staniſlao Golominski Epiſcopo Luceorienſi, Alberto Laski Palatino Siradienſi, Ioanni Oſtrorog Caſtellano Poznanienſi, viro digno Maximo loco Reipublicæ, Iacobo Pretvvicz Caſtellano Camenecenſi, Fredro Boniecki, Sienicki, Trasko, Oxo, pro multis ſignis VI.

 amo-

amoris & benevolentiæ. Retribuat ea omnibus misericors & justus Deus gratiâ suâ vivis, & mortuis gloriâ sempiterna.

Rogo Vos.

I. *Magni in Republica viri, Petre Tylicki Episcope Varmiensis, & Regni ViceCancellarie, Nicolae Zebrzydovvski Palatine Cracoviensis, Ioannes Zamoyski Cancellarie, & Regni exercituum Dux, vosque alii Patriæ Principes. Servate hanc Rempublicam ab interitu. Agitur causa Dei, conscientiæ, honoris nostri, & præmii sempiterni. Præstate vos viros, cum honor Dei id requirit. Non estis imbelles, ornavit & armavit vos rebus omnibus hæc Patria, omnia illi debetis. Nepotes meos habete etiam vestræ gratiæ commendatos, si boni erunt. Et te Georgi Mnissek Palatine Sendomiriensis, benefactor meus, minor licet ætas dispares habebat, nunc unus pietatis junxit, & adhuc junget amor.*

II. *Bernarde Maciejovvski Episcope Cracoviensis amabilis. Tu meo funeri, & ego tuo adesse promisimus, si poteris, spero facies, & me in meis Nepotibus amabis. Nosti quo semper fuerim in te animo, & Deus melius.*

Si-

Sigismunde Rex, rogo te per Dei misericordiam, III. *ut talem huic loco Pastorem provideas, qui laborem sustinere possit, in omnes partes vigilet, & zelum Dei habeat. Fratrem etiam meum Albertum tuæ Majestati commendo. Fecit omnia quæ potuit tui causa; Et alter Stanislaus tibi serviens mortuus est, filiis eorum, rogo, sis clemens Pater & Dominus.*

Alberte Frater, servivisti mihi uti bonum Fra- IV. *trem decuit, rependat tibi Dominus Deus quod ego non potui.. Valete omnes & mori mementote.*

F I N I S.

ANDREÆ MAXIMILIANI FREDRO

Geſtorum Populi Poloni,

Sub

HENRICO VALESIO POLONORUM,

Poſtea verò Galliæ Rege

LIBER PRIMUS.

Ratio ſcripti.

Scriptorum taciturnitas famam virtutis populorum ducit in occaſum, nec plus vivit ea in oculis hominum, niſi quantum unius hominis occupat ætas, aut factorum recens ſecum trahit memoria. Interim cum vita hominis, memoria ſeneſcente, ingloria & iners oblivio, Silentia famæ indicit, & reticet univerſa; Unde dubitare non devium, plusne injuriæ detur

virtuti, quæ reticetur, aut alicui populo, qui rectè factis, vel erroribus majorum, in obscuro ignorantiæ positis, quæ sibi sequenda, aut vitanda, quæve corrigenda in republica, ignorat; Sublatâ magistrâ posteritatis Historiâ. Et sanè, unde nam recta, vel inrecta, eventus rerum varii, casus pacis & belli noscantur, si obmutescat præteritorum narratio? Fit ergo ut nonnullis errorum antiquitatis ignaris, eveniat, quod mala praxi probatis medicis, qui medicamentorum improba condimenta periculis ægrotantium probant. Absint tales à corpore Reipublicæ, improbi curatores, inspiciant curiosiùs majorum gesta, ut alienis erroribus, vel rectè factis edocti, sapiant in proprio. Haud à vero, quod per Poloniam vulgò circumfertur, Malos genios haberi cautos, quia nimium senes sunt, & ab orbis exordio, Historiam universam, & casus hominum notârunt. Quasi dictum velint; Eam verè dici prudentiam, quæ longâ & senili præteritorum annorum notitiâ probatur. Volumus haberi prudentes? fiamus senes; sumus verò tot annorum homines, quot sæculorum gesta, nobis per Historiam non ignota sunt, & velut juvenili in corpore, grandævam judicii caniciem circumferimus; illi verò in incunabulis annorum versantur, qui præterita, ad scientiam seu negligunt seu ignorant. Non certè homines fieri sibi injuriam, à natura

tura credant, quod ea non annosam ætatem homini indulserit; non enim ut senes fiamus, in naturâ est, sed in nobis: vis tibi à temporibus Lechi Polonorum Parentis annos numerari? vis à decessu Alexandri Magni? vis ultra? à condita Roma? volve ejus sæculi annales; paratum habes senium, & vivis eosmet annos, non corpore, sed animo, quo vivere universi cupiunt: si hanc vitam homini demas, non est tanti vita, ut corporis ergo appetamus. Et hæc beneficia ab animo hominis, tum à republica crudeliter semovet, qui Historiam, dum loqui potest, tamen reticet: Porrigam ego hic paucorum annorum gesta, sub quatuor Regibus, usque ad decessum Vladislai Quarti, & initia sceptrorum Joannis Casimiri, neque ea antiquioris Sæculi, sed avorum nostrorum fideli retentâ memoriâ, imo pleraque in nostris oculis nunc nata, profundiores retro ætates inspicere, ob inopiam antiquitatis nostræ Scriptorum, perarduum est, neque ego cupio: Vt taliter huic scripto major habeatur apud posteritatem fides, (quod ea facta populi Poloni per orbem circumferet, quorum pleraque in oculis nunc legentium gesta nec censuram tulêre falsitatis) tum ut meliùs agrum excolam, cujus modicam partem colendam sumpsi; Merces verò laboris ea me manet, facta Populi Poloni in longum duraturæ memoriæ consecrasse, &

ſimul poſteris aliena rerum praxi profuiſſe. Non certè hic meorum nominum curam gero, ſolaque obſuit authoritas non ſine noto authore Hiſtoricæ veritatis, quin anonymus fierem: quid enim refert, unuſne an multi mea nomina noſcant: multa ſcriptori auferant, item alii multa tribuant? Minima hæc ſunt, quæ ſcriptori rependuntur proêmia: ſola conſcientia facti præmium tanti laboris eſt, dum animus intra loquitur per ſe hoc quale quale ſit, natum. Loquar ergo facta populi Poloni, errores & merita ſingulorum in Rempublicam; tum nomina diligentius notabo; quod quiſque fecit, ſuum hic videat, ut ſeri poſt, nepotes magna avorum nomina grati legentes, virtuti pariter reſpondeant, & ignavorum poſteritas, recte factis, maculas domus, tegere non gravetur. Tu verò quiſquis facta Populi Poloni ſcire amas, legito & faveto huic Scripto.

Annus Chriſti MDLXXII.

STerilitate Sigiſmundi Auguſti Regis, ad paupertatem Sobolis & ſucceſſorum, Iagellonum domus devenerat, ut Polonia, quæ domi antea Principes habuerat, jam extrà quærere cogeretur. Licet verò Populo Polono

no ea eligendi poteſtas, ut Natis Regum poſthabitis, aliam in domum Sceptra deferre poſſit, nec tamen fit; ut qui domi & in moribus populi nati, rejiciantur; ne ſic forſan minor imperantibus paretur ſecuritas, & offenſarum in eligentem Populum detur occaſio, ſi alienæ domus ad purpuram quærantur Principes, poſtpoſitis qui in aliquam Spem Sceptrorum domi nati, quia è regnantibus ſuſcepti, tum quod merita Parentum, dignâ in filiis Sceptrorum mercede allegare poſſunt. Accidit verò, ut ea ſibi homines deberi credant, quæ falsâ ſpe devorârunt, ſi non obtineant, pro injuria accipiant. Grave igitur poſt deceſſum Sigiſmundi Auguſti videbatur Polonis, cum deeſſet, in quem vota univerſorum declinarent, ac tædioſum, ſine rege præſertim, dum in libero populo, apud potentiores, libertas in licentiam abſente Supremo rectore amat degenerare. Eoque difficiliùs acceſſit, quia nec extra regnum apti Sceptris Polonicis, ſubito videbantur: è reipublicę verò nobilitate regem habere, periculum credebatur fore, in ea paritate libertatis & titulorum, familiam, quæ

reges ſuſciperet, ſolam ſuperbiùs eminere. Quę omnia diutinum interregnum portendebant, eóque acerbiùs populo, quod non antea diu eligere conſuêſſet, aut quia in novis caſibus, ingenia hominum, formidini, quàm fiduciæ propiora. Quare juvabit ad poſterorum doctrinam ſtatum interregni, tum ſtudia eligentium notare, & eò audaciùs, quò mihi ſunt ad manus fidelius conſcripti ſermones ſecreti, literæ ſenatoriæ, tum publica conſulta, magnum ſubſidium ſcribenti hiſtoriam; Quę omnia cum fide ſequar, ſeu longiora in compendium trahendo verborum, ſeu breviùs prolata, prout ſunt nata annotando.

Dubio Sceptrorum Succeſſore motus non leviter Populus Polonus, antequam certum votis deligeret, providere cœpit, ut pacatam, quam ab Auguſto Sigiſmundo acceperat rempublicam, non concuſſam Succeſſori redderet. Ne ſegniùs ageretur, incumbere viſum primis regni Palatinatibus, conſervandi ſtatus ordinem, ociùs per ſe inceptum, cæteris exemplo porrigere, domeſticis malis per provincias occurrendi; antequam dies Comitiorum

in

in Commune diceretur. Cracovienſis cum Sendomirienſi Palatino Cracoviam venere, Poſnanienſis cæterive majoris Poloniæ Senatores, Lowicium. Item Ruſſię & Podolię Palatini, in oppido Glinianenſi, cum Caſtellanis & nobilitate Roxolanorum univerſa, mutuo conſenſu, conſultandi diem ſibi dixêre.

Sed prima, Cracovienſis conventus, & vigilis cura Sacrorum, liberorum, ac carę libertatis objecta mutuo pignora, in odium interregni amoremve reipublicę, quę diu viduam ſinè ſuo ſponſo & rectore agere nequiret, circumſeptam eſſe rempublicam variis gentibus ad converſionem cum rapace manu paratis, dari occaſionem univerſis abſente Paſtore populi, deſolatum gregem opprimendi, qui vel libertati ejus inviderent, vel imperium affectarent; Ad hęc infirmam eſſe Moſchorum fidem toties fractam, ſuſpecta Turcarum Principis fędera, quem imperii capiendi occaſio, non ſanctitas fęderum teneret, atque tum fędifragus non eſſet, cum fide fracta quidquam rapere poſſet; Auſtriacorum quoque, licet amicorum populi Poloni, gravem tamen in vicinia

nia haberi potentiam , liberis populis inimicam ; Insuper amari ubique vitium, cujus merces regnum esset. Nec pietas erga defunctum regem intermissa, amare videri volebant mortuum, quem vivum non odissent. Ad cadaver Knisinum (ubi supremam diem clauserat Augustus die VII Julii) senatores missi, ne aliquid ad Majestatem & tristem defuncti deesset pompam antequam funus maturaretur: Moris autem pridie novorum regum Coronationis defunctorum corpora humare, ut privilegia mortalitatis noscant imperaturi, qui imperantium cernunt sepulturam, & eadem de se judicia populi ament, vel vereantur; qualia funera antecessoris tulêre, ob virtutem, vel vitia; Nam verissima vitę humanę censura, mors est, ac Principum pręsertim, quorum maximè, qui pro amicis habebantur, vitia audaciùs ac fideliùs exprobrant quę timore vel verecundiâ, ante funera in palam proferre non audebant: Unde fit ut aliam morum famam, vivi inter certamina blandientium experiantur Principes, quam post obitum sunt laturi, dum minore respectu pręsentis gratię, vel odii,

odii, censuram anteacta vita tulerit. Actum eo in Conventu de securitate interregni domesticâ ac publicâ. Ad domesticam pertinere videbatur, ut gubernatores provinciarum (quos capitaneos vocamus) vias publicas securas redderent. Et quoniam cuique malo scelus impunitum haud displicet, caverent diligentiùs, ne prout audax vel potens quispiam, in inferiores vi, aut parricidiis grassaretur, pręsertim si antiquata pręcederent odia, quę etiam neglecta tum erumpunt, dum vindicta sinè pœna cedit audaciori; Exploratores in postlimitanea regni quàm otiùs mitterent, ne vicinorum consilia rempublicam laterent; Fines regni undequaque esse tuendos, ad subitos ab extra impetus, subita pręsidia comparanda, consultantium tulit sententia: Dictus ad hęc certus militum numerus Capitaneis, quem casibus paratum haberent, si militi scribendo deforent subita stipendia; qui proprio ære milites negotio reipublicæ conscripsisset, publicum ærarium ei maneret solvendo. Assurrexêre plurimi, gratam dari occasionem benemerendi, de republica lęti, sua nomina scripsêre, ac nu-

numerum militum, quem pro facultatibus privatis ducere quisque præsumpsit, neque rempublicam solutionis gratiâ (si gravis repensa foret ærario) sibi obligari velle; cui omnia bona, vita, sanguis gratuitò deberentur. Grates iis propterea habitę ab universo consessu & rari amoris in Patriam notati. Cautum verò ne milites lecti, circumjacentibus oppidis victui contribuendo graves forent, sed propriis stipendiis alimenta quęrerent. Equos pręterea è regno educi, tum homines novarum rerum studiosos egredi, aut ab extra adventare vetitum, literas externorum ad Senatum deferendas imperatum, quo demeretur occasio partium capitibus per tabellarios cum extraneis colloquendi, ut libera foret Electio quæ ratione regetur non factione. Quò verò tutius omnia haberentur, limitum ingressus (pręsertim ab Hungariâ) ac publicę vię, qua per arctiores ducuntur saltus, detruncatis & aggestis arboribus interclusæ, adjectis ad hęc in custodiam præsidiis. Sed maximè Extraneos in militem scribere vetitum. Abundè sufficere Polonam juventutem capiendis armis, & plus

plus ex fide acturam, quorum Patrię & natalis honos essent prę oculis, externum non fide, non amore in alienam Patriam teneri, neque probari militem, qui legi patitur, ut sua stipendia numeret, non ut patriam fortiùs defendat cum importuno periculo alienam; Et si ejusdem nationis hostis adventat, sua signa deserit, transfuga haberi mavult, quàm nativi hostis sanguinis. Neque itidem tutum videbatur, Optimatum quempiam novas thurmas aut legiones sibi parare, antequam super eo Primatis authoritatem, & aliorum Senatorum proferret scripto, è republica fieri: Qui verò ultra concessam potestatem signa sequerentur, pœna gravis decreta. Pacta præterea Societas contra turbatores pacis & factiosos cives, ullo respectu Illustris domus & privatarum amicitiarum, sanguinario persequendos: Tutum omnino erat, bonis adhuc civibus sociati fęderis objicere metum, ne mali evaderent, quàm expectare cum intempestivo rigore, seditiosos priùs notari, & patratorum, quàm inceptorum reos esse malle, dein puniri. Quare singuli Nobiles omnia

 bello

bello parata, arma, equos, domi tenerent, ſignum capiendorum armorum, ab authoritate ſummi Concilii expectarent, imperatum. Tribuni verò novarum cohortium ac Præfecti, ſecuritatis publicæ negotium agerent, neve eligentium partes ſequerentur, ſuper eo Sacramento adacti, nam ſemper æquitatem parti & ſententiæ imponunt, qui arma tenent, & juſta ratio armis cedere cogitur, qui eligunt inermes eſſe, ſed ratione armari oportere. In urbibus & oppidis, tumultus & ſcloporum exploſiones interdictæ, ac incentivum improborum audaciæ, tabernæ occludi juſſæ, quique muſici concentus vetiti, lugubria omnia eſſe oportere, lugente republicâ; Sed Cracovia, caput regni maximam curam moverat, ubi diplomata, ſedes regia, ſceptra, coronæ, theſauri aſſervantur, damnum fore videbant, negligentiùs teneri urbem, quæ capta, totius captura & præda foret. Latum propterea, ut Palatinus Cracovienſis cum Capitaneo, mœnia circum luſtrarent, tum cætera à magno proviſore Caſtri, è bonis menſæ regię, victui neceſſaria; in urbis, & caſtri cameras, reponi curarent.

Sal, ligna, panes biſcoctos, & alia: tum ad defenſionis neceſſitatem, pulvis nitratus, globi, tormenta muralia, lanceæ, ſclopi, ligones, pallę, ferrum, gladii, plumbum, & cętera hujuſmodi procurari juſſa: Item ut Abbates, & Præpoſiti Monaſteriorum, ſibi de victualibus in copia providerent, aut ſi opus foret equos, currus, homines, ad comparanda ſtruendis muris neceſſaria cum reliqua civitate ſuppeditarent, imperatum: commune eſſe univerſorum è periculo malum, & communem è re bene geſtâ ſalutem. Nec divina intermiſſa. Ad omnia altaria ſupplicationes dictæ, bonos Principes cælo dari, malos verò mille eligentium judiciis non vitari irato numine. De Legato in Turciam mittendo circa confirmationem pactorum, tum de ſolutione ſtipendii Tartarici, ad frequentiorem conſeſſum, relatum. *Lowicienſis* majoris Poloniæ conventus, haud diſparia tulit conſulta, circa motionem communium armorum tamen additum; Ut nobiles alicujus Patrimonii qui optimatum famulitiis, aut clientelis tenerentur, ſigna ſuarum terra-

rum ſequerentur, ne aut optimatis alicujus nimium augeretur in periculum ęqualitatis potentia, aut eò facilius Equeſtris ordinis in partes diſtraheretur. Cætera Conſultorum à Confęderatione Cracovienſi non diſparia. In conventu Glinianenſi actum de ſecuritate publica, de turbulentorum capitum infringendis ſtudiis, & confæderatio ſuperaddita. Si aliqua provinciarum reipublicæ extra communitatem Electionis Regem quæreret, earum cives hoſtium loco perſequendos, ultra reſpectum ſanguinis, & amicitię privatæ, Cariorem eſſe omni amore Patriam, & inimiciſſimum qui reipublicę foret inimicus. Ut verò dubium tolleretur ſceleratis, mortuo rege, mortuam eſſe vim legum & juſtitię, More interregnorum injurię ad Capitaneum deferri juſſę, datis in collegium aliquot è potentiori nobilitate, qui de criminibus inquirerent, punirent, aut contra reſiſtentem reum, armatam nobilitatem moverent, ſingula pacarent. Prolata pacta Conventa Corcinenſia, quibus Ruſſia univerſa acceſſerat regno Poloniæ, ſub annum Chriſti MCDXXXVIII, eorumque

que pactorum vi, nolle ſe unquam, ac poſteros recedere ab ea copulâ, declaratum: ſed velut Polonos cum Polonis eundem dominum quęſituros, qui contra ſentiret, tanquam in communem hoſtem arma capturos. Pœnę item in delinquentes auctę per omnia, undè juvit ad ſecuritatem Publicam ille auctus in peccantes rigor, & opinio novę ſeveritatis, ut tantundem audaciæ ſceleſtis demeretur, quantum augeretur pœnarum.

Dum ea conſiliorum capita, in manus ordinum Magni Ducatus Lithuanię devenêre, in longum trahi interregnum conjecturati, non ſegniùs de ſuâmet ſecuritate providendum duxerunt, per conciliabula & cętus coacti, paſſim in minorem Poloniam ſcripsêre primores quoſque commonefaciendo. Tertium menſem agi ſine rege, periculoſa eſſe quęque momenta temporum in republica, abſque rectore, Moſchorum duci ſibi vicino & ſępius hoſti, haud diſplicere regis Polonorum funera, cuique audaci & potenti dari tempus ad nefaria conſilia. Poſtquam ſpes regni diutius ambitioſos teneret, quod imbelli ſuaſu aut factio-

factione aucupandum irent, periculum ne vi aggrederentur imperium, ubi per tempus, intra laxiores terminos auxilia compararent. Cum ad inaugurationem novi regis otiùs descensum foret, eo facto posse pręcidi vanas universorum spes, & tumidas mentes. Insuper non debere assuefieri populum diu esse sine domino, quæ jam nemini quàm scelesto placeret, probos quoque pessumdaret licentia, nullum esse vititum quod non contagione familiare redderetur, paucis gradibus in animum descendere, primâ fronte invisum, ultimo nullum esse: dicerent tandem tempus & locum novo regi coronando, se quàm otiùs adfuturos. Sed lusit profectò tum Polonorum Fortuna, nec planè discordes volens nec probè unitos, fors experimentum capiens virtutis, gentis in longum duraturæ, an bona fata mereretur, quę sine murmure tulisset adversa & prudenter. En dum Lithvania reconciliatur minori Poloniæ, novi à Polonia majori parabantur motus, eoque fortiores, quo speciosis firmabantur prętextibus: Indignabantur majores Poloni passim è Lithvania in mi-

minorem Poloniam mitti literas, se verò ut alienæ reipublicæ cives præteriri. Aliquos primum, mox singulos res moverat, jam illi mutuas literas sibi scribere rei indignitatem enarrantes, jam in minores circulos coire, verum Primores majoris Poloniæ, & rerum peritiâ graviores, qui reipublicæ saluti studuerant, suspicati haud minuta mala eâ motione animorum portendi, rectum arbitrati fore convocari nobilitatem, ubi palam, quid ureret animos, aut quid facto vellent aperiretur; Fortius enim pressa odia tum erumpebant dum aderant mali negotii fautores, qui haud negligenter novis rumoribus accendebant animos, quò tutius inter tumultus scelere aut vi grassarentur. Huic colloquio *Sreda* oppidum datum; tum scriptæ literæ in minorem Poloniam quærimoniarum plenæ. Quatenus nossent minores Poloni universæ reipublicæ incumbere tuendum jus Archiepiscopi Gnesnensis interregis, cujus authoritate libertas civium teneretur, nec paterentur à quopiam collegia sibi indici, tuerentur leges quæ ab

uni-

universâ republica latę, fractâ vi unius, jam omnes infirmas jam nullas esse, licentia damnosa in unam; Nolle se illegem habere rempublicam, omnia anteactę ætatis interregna, per primates fuisse acta, nec morem majorum, nec leges Polonas aliter velle. nunc infirmas haberi: Duasne respublicas ex una factum irent? aut duos reges pro uno quęritarent? non divitiis aut armis stetisse antea rem Polonam, verum concordiâ, cui fortia arma & divitię multę famularentur; nec alia de causa eam separari, quàm ut ociùs sua fata maturaret. Sufficere minori Polonię, ordine prędere majorem adhæc sedem regiam, thesauros reipublicę asservari, illic haberi diademata, quibus insigniuntur imperaturi reges, Majori Polonię primi Principis honorem relictum, cujus potestatem ac jus universa respublica tueri deberet, velut suę libertatis pupillam, si diu salva esse vellet; Non haberi alterum pari potestate in republica, qui malevolo regi (quem benigniora fata longiùs averterent) jure opponi posset. Hæc & multa alia sat' quærimoniosè scripta: Verum ego fateor errore potiùs Archiepiscopi (erat

(erat in officio Jacobus Uchanscius) eos motus animis civium suggestos, qui munere suo haud dextrè uteretur. Non oportuerat in dies aut menses differre tempus Comitiorum, aut dare occasionem Palatinatibus in privatos circulos coëundi, consultanti, concludendi: Ni certè in eo populo hæc agerentur, cui sanguine, vitâ, bonis omnibus respublica carior; Haud tutum foret distinctas provincias, ad consultandum in partes secedere, ne quæ ob necessitatem primùm facta separatio, postremo probaretur: Majores nostri voluère generalia consulta Comitiorum haberi, ut universi in Commune consulerent, separationem odissent, communitati assuefierent, unde salus universorum promanaret, & tutela: Providendum erat Archiepiscopo, quatenus sine mora, post decessum Sigismundi Augusti, Comitia dicta fuissent in Commune; sic unitæ reipublicæ facies, Regem, non vim regis abesse doceret. Proclive autem mihi authoritatem Archiepiscopi Gnesnensis enarrare. Cujus creatio, uti cæterorum Infulatorum penes Regem est. Ad quemcumque hæc In-

ſula Archiepiſcopalis devenerit, is Primas, primus Princeps, aut Interrex appellatur: Ad tanti tituli Majeſtatem addita inſignia, Crux, quę publicè antefertur & Marſchalci baculus, regiæ authoritatis inſigne Senatoriſque antefertur manu, per plateas & curiam venienti. Crucem tamen erectam in Senatu, & ubique. Sceptrum Marſchalci in conclavi Regis ſubmiſsè haberi cogitur, imparis authoritatis ſignum. Rex primum adventantem ſtans recipit, & aliquot paſſibus obviat, imò ut abſoluta conſtet tanto Primati majeſtas, non gladium ſolum nudum protrahere, ſed minus decens verbum coram proloqui, pœnis Statutorum vetitum; Huic authoritati non impar ſubnexa poteſtas. Rege mortuo Comitia dicit ordinibus, & regis vicem implet; imo vivente, ſi contra jura Rex delinquat, convocat ad conſilium ordines. Credo verò majores noſtros ad Sacrorum Principes tantæ Majeſtatis jura detuliſſe, quod ſi quibus Divina curæ ſunt, pro melioribus habeantur, vel in quos affectati imperii ſuſpicio minus cadit; qui ſacris ordinibus initiati.

tiati. Nulli verò parem dedere poteſtatem, quia electoris populi diſparia ſtudia, facilius ab uno conciliari poſſe credidere. Cum ergo partim hæc poteſtas, partim diutini interregni pericula commonerent Archiepiſcopum officii, convocavit è vicinioribus terris præcipuos Senatorum, ac eos præſertim, quos amore & plauſu in populum valentiores credidit, petiit ſententias, tum ſenatusconſultum latum. Ut Anna ſoror Regis demortui, antequam ulterius de ejus ſtatu reſpublica decerneret, tuendo dignitatem Reginalem, Lencicię aut Auguſtavii commoraretur, Dati duo è ſenatu qui cum Majeſtate eam haberent, alter Epiſcopus, alter è ſeculari Senatu, Dictum de legatis externorum Principum, qui ante obitum Regis reſponſa accepiſſent, intra octavum diem Polonia abeſſent, multa clandeſtina conſilia diſſeminari per eos, in populo, non tutum Senatus intellexit, Cæteri qui ad Electionem futuri Regis ſtudia Principum conferebant, intra Poloniam manere juſſi, diſcretim tamen & remotiùs ab Electionis loco, ne factioſos quoſque convenire aut conveniri

niri possent, singulis dati præcipui è nobilitate custodes, tum locus manendi in diversis urbibus. Dies insuper dicta Provincialium Conventuum; generalia Comitia in diem VII Januarii anni sequentis convocata. De iis Comitiis per literas cum Palatinatibus actum, cum Ducatu Prussię, & magno Ducatu Lithvanię, per senatores agere visum ad majorem edicti authoritatem. Cum enim Prussia, prope duo sæcula ab ordine Teuthonico, (qui & Cruciferorum vocitatus) repetita, & postea mutuis pactorum discensibus agitata, ideoque haud firmiter reipublicę esset annexa: Verebatur Senatus ne illo interregno, ac dissoluto rerum statu, in partes secedendi occasionem captaret, præsertim cum ab iis partibus diversi à Polonis mores, lingua, quod maximum, habitus, & super hæc religio, infirmum cum diverso populo unionis glutinum, starent. Lithvani verò licet diutino linguæ & morum Polonorum Commercio, ferè in Polonos degenerarent, & populi adscripti essent legibus, quia tamen magis reverentia Jagellonicæ regnatricis domus, è suis hæredibus sanguinem,

& Successionem Ducatus trahentis, quam suâ sponte unionem ferre videbantur, justa suspicionis causa oriebatur, ne post decessum Sigismundi Augusti, alios spiritus & Principes caperent. Ad utrumque populum missi delegati, tam Senatorii, quam Equestris ordinis, præsentiâ, & authoritate totum acturi. Ultimum consultorum ejus conventûs erat, ut nobilitas parata cum armis, reipublicæ casibus adforet. Ratio horum armorum ea semper fuit, ac nunc est: Cum antiquis sæculis majores nostri, regum ærario contribuere ducerent haud ingenuum, æquiùs illud cum decoro retinuere, ut periculosis reipublicæ temporibus, pro facultatibus privatis, ternos sexenosve Equites armatos, in castra singuli ducerent, proprio ære militarent; quare ingens conflabatur exercitus. Hoc militię genere Primitivi Poloni in orbem eundo, Bohemos sæpius vicerunt, Germanorum exercitus fugârunt, ordinem Teuthonicum vel Cruciferorum, seu deleverunt, seu ad paucissimas reliquias redegerunt, cum Lithvanis antea inimicis prospero Marte certârunt, Roxolanos

pacârunt, Turcarum Orientis Principi terrorem incusserunt, Moschos debellarunt, Tartaros domuerunt. Cum his gentibus ter centum & aliquot prælia commisêre, vix decem sensêre adversa, antiqua memorando, cum universę gentes velut è condicto populum Polonum oppressum eundo, per se dudum pugnacem, armis in melius exercuissent. Neque mirum præterea, quod ab antiquis notatum scriptoribus nusquam pari numero, necdum medio Polonos cum hoste in arenam descendisse, aut si vincere contigit, millena illinc periisse capita, hinc ne centena, aliis enim populis eminùs ferire ars est, huic genti cominùs certare natura, quo ictu rariùs, aut nunquam aberratur; Grave postea videbatur Polonis, ad veram libertatem aspirantibus, nusquam quietam domi vitam vivere, jam è familiaribus penatibus regum mandatis ad bella evocari, jam caram conjugem jam liberos deserere, quorum amore capiuntur ingenui, æquè atque ignavi, Adhæc magis pro libidine Imperantium, quàm pro republica arma geri suspicatum, bella è bellis gratuitò quæritari, quod

quod nullo regalis æris dispendio parati haberentur exercitus, tum illud quoque non leviter obstitit, Sat nempe magnam è parva rempublicam crevisse, à Septemtrione sinu Baltico, ab Oriente Ponto Euxino, à Meridie monte Carpato, pro limitibus terminari, invigilari potiùs, quâ ratione servarentur non quâ pararentur imperia, rapere, ea facile; tueri, ultra quàm esse difficillimum; non magnitudine, sed recto consilio & concordiâ stare universa: Romanum olim imperium facilè cecidisse, cum magnitudinem sui sustinere non posset, utrumque esse penes vitium, immensum imperium, atq; minimum. Quocirca consensum Ordinum in eo Rex desiderat, quod absolutæ potestatis dudum fuerat. Asserunt nonnulli, CCCXXXX, vel ultra millia equitum posse numerarai cum mota sedibus suis sub signis steterit nobilitas; Ego quò magis vero cohæream, millia ducenta, aut parum ultra, dixerim, non gravia tamen castris onera, sed manus bello aptas. Nam Polonæ Nobilitati ea vitæ constat ratio, more & usu antiquata, ut cum ex umbraticis Scholarum studiis excesserit, militaribus

 se

ſe accingat, ſigna ſequatur. Turpe aut deriſorium hic maritum agere, qui nulla ſtipendia numerârit, nec facilè creditur poſſe togatum rempublicam adminiſtrare, qui in ſago minimum profuerit. Univerſa juventus bellis intereſt, quo quiſque imaginibus majorum clarior, ſuæ ad naturam domus, promptius à domeſtico otio in caſtra migrat, neque poſt emerita ſtipendia Martis deliciorum oblitus, arma abjicit, verùm propè ut recepturus ſeponit, equum militarem in deliciis habet, acta pericula cum guſtu ad focum memorat, vocari, aut iterum currere in caſtra, in æquo habet. Hoc vitæ genere & Plebejorum Nobilitas, & Nobilium fama, paratur, nec majores ſuos, verùm ſe ipſum rempublicam defendiſſe, in laude reputatur. Illud eſt, quare Polonia hoſtium nominis ſui viribuſque ire contra poteſt (aut ſi verum dixerim ante potuit, nam quantum hiſce annis ab antiquis moribus receſſimus? caræ parentum libertatis & bellicæ virtutis prodigales filii, in noſtros poſteros indiſcreti) benignioribus fatis, hujuſce gentis ordinantibus, ut ea ſola reſtaret, cui Chriſtianus

nus occidens libertatem deberet. Magni certè momenti eſt hæc evocatio generalium armorum, præſertim ſi ad numerum, & ordinem redigatur, ſi pro ratione temporis aut ſingulos in annos, hoc anno militent Palatinatus tres, altero totidem, & ſic deinceps; Commodiſſimè ſine impenſa ærarii defenderetur reſpublica, mutuam inter æmulationem Provincialium virtutis, & fortium; ac colonorum quietem à tributo. De Generali Evocatione armorum locutus ſum, luſtrum ſeu cenſum non intermittam. Priſcis legibus luſtrum Provinciale generalem Expeditionem ante, condebatur: Prodibant in campum Nobiles pro poſſe fortunarum, arma, equos, comitatum, quæque futuro bello opportuna viſenda daturi, & nomina præſentes inlaturi in tabulas, abſentiam, pœna publica infamiæ vindicante, ſic rempublicam ſe ipſam noſſe oportuit, quantum civium ad bella caperet. Nec injuria ſi ulli prætextus obſtitère abſentiæ; pro viduis nobilibus ære conducti armati, pro decrepitis parentibus robuſti ſtetère filii: infirmorum tamen reſpectus habitus, eaque legis ſeve-

ſeveritate, ut tranſacto bello, verę infirmitatis (idque non ſine juratorio teſte) ſacramentum exigeretur. Inoleverat tandem mos in annos ſingulos luſtrum provinciale condere;* quia utile videbatur commoneſacere nobiles officii, quatenus arma non negligentiùs curarent, & parati luſtro non imparati repentinis adeſſent caſibus, cunctantius ſecus prodituri in aciem, ſi tum arma quærerent, dum pugnandum. Quis non fateatur? pulchrum fuiſſe ea vexatione incolas aſſueſcere militaribus, nec otio ſegneſcere, imo utilius reipublicæ civium arma parari, quàm aurum colligi, hoc ſæpe incitari avaritiam hoſtium, illis contundi potentiam. Ulla tum erat ſenatoris aula, armis vacua, aut non loquax, qualiter bella gerantur? quomodo vibretur ferrum? equus frenetur, aſcendatur, flectatur? ulla nobilium domus, ulla viduarum. Annotavit curioſa rerum magnarum memoria, in apparatu primi luſtri, multa millia armorum, ære privatorum empta fuiſſe, partim ex iis, quæ domi parabantur, partim ex externis & aducticiis. Mirabantur vicinæ gentes ad quas rei fama delata, cum tanto ſtre-

* *Conſtitutio annorum 1562 & 1563 & poſtea anni 1627.*

ſtrepitu à Polonis ad arma concurri, hoſtes timebant, imo amici verebantur; hi ne quid inſperati ab amica gente in ſe ſtrueretur; illi ne ſuas injurias populus Polonus ultum iret: Demum Polonia pacata, univerſis terrori fuerat quę tanto auro ferrum & arma quęreret: idque precium capiebatur militaris apparatus; Sed ut ſingula hujuſce rei percurram; Latum erat; In univerſo regno, luſtrum convocari una die per Provincias, partim ne armati nobiles diviſo tempore, commoditatem haberent coëundi in audaciam, partim ne mutuatis armis, aut equis uterentur, quibus omnibus ſinguli ſimul opus haberent; quia verò inter armatos rationem iniri reipublicę periculoſum, unde fęcunda metuum materies; de negotiis publicis tunc loqui vetitum, nomina ſingulorum inſcribi oportêre, reliquorum neminem teneri. Placuit ille apparatus primùm omnibus, verùm obſtitêre poſtea rectè facto, qui magis cum aure Principis, quàm cum libertate amant loqui, paſſim inſuſurrantes. Quare pateretur armari populum, cui inermi faciliùs imperitaretur? precarium eſſe in armatos, niſi armato imperium, aut inermes

mes oportere in lustrum convenire, aut obviandum rigori legis, quæ severiùs vetaret absentiam; Hunc esse grandævum, illum ære alieno oppressum, ægrotum (aut quę ingeniosior advenire potest domestica necessitas) occupatum; minorem ideo pœnam irrogandam, aut (ad speciem clementię) nullam, sic nulla vetitorum pœna, nil nisi forent vetita; Plures verò in quaque republica sępè esse ignavos, ac simplices, quibus metu, nisi pœnarum legem violare piaculum est, dum hę tolluntur, major pars civium leges violat, tandem prudentiores, cum recti amore dudum proba tenuerint, scelus sequuntur quod impunitum vident, pręsertim si virtus cum impensa habetur. Hæc & alia ad speciem humanitatis loquebantur mali nati venditores libertatis. Placuit consilium (sed ignavius) plerisque civibus, jam minor impensa apparebat, jam minor cura, inermes in lustrum coire, nec tam frequens alere famulitium. Atque (uti plerisque rei privatę studiosis magis cum libertate fieri videntur, quę nullo privato constant ære) facile assensêre dictis, sub melle, fel-

fellis ignari. Tum potenti factione, in alienum ambitum & suam perniciem stultè ingeniosi, comitiorum eo pepulêre authoritatem ut pœnis statutorum demeretur, sic ab Fisco ad nummariam decursum mulctam. * Libertatis species nonnullis videbatur, cum initium esset servitutis (quasi quis imprudens in eo libertatem aut parsimoniam prætendat, si familiarem gladium emere prohibeatur, velut inane pondus ambulanti impedimentum negotiandi; non pondere potius liberandus aut impedimento, sed crudeliter exarmandus in obvii cujusque ac potentioris innocuam prędam) Quia verò ad hęc nummaria pœna negligentius ab absentibus repetita, jam pauci, jam nulli in lustro visi, jam plane iis gradibus lustrum interiit, maxima libertatis, maxima potentię rerumpublicarum pars. Unde pleraque incommoda accipit in dies respublica. Si oporteret convocari ad idem, pauca aut nulla arma in domibus nobilium reperirentur, nulli ad bella equi, dicam planè (quid in tam aperto reipublicæ morbo blandus sim?) otio segnescunt fortes, & illa arma, quę continuo usu

* Constitutio annorum 1620 & 1627.

uſu atterebant, perpetuæ dicârunt rubigini, interim mali accendunt in majus ignaviam, ac ſine metu totum ſuum pervaſtant perambitum, invalidâ republicâ, primi; ſi virtute valeret, ultimi: ſibi boni, in publicum pernicioſi. Cos hæc erat virtutis Polonæ, cum alii pro Patria ſtare diſcerent, alii contra Patriam aut leges moliri aliquid vererentur, cum inter armatos cives ſæpiùs comparendum erat, periculum inde ſuſpectis, aut metus, gratia benemeritis civibus. Ad hæc cum libertate cohæret poſſe cives inſimul convenire; Convocamur nunc ad circulos comitiales, de republica diſceptaturi, ſed vocati plerumque cum dedecore abſumus, quia non adeſt pœnarum neceſſitas, ac ſenſim dediſcimus tractare rempublicam, verùm in luſtrum prodibant omnes, lege, pœnâ, amore patriæ impulſi, ut tam hi pertinaciùs retinerent Patriæ amandæ zelum, quibus ea cordi, quàm commonerentur ſuæ virtutis, qui aliàs domeſtico tenentur otio, ſcirentve omnes è ſingulis rempublicam componi, ac à ſingulorum manibus ejus dependere præſidia. Providendum idcirco his quibus reſpu-

reſpublica cara, ut luſtrum quod recentiſſima intercedit memoria, ſuæ legi reſtituatur, dum hi ſuperſunt, quorum adhuc ætas rectorum memor eſt; etiam boni mores diutiùs intermiſſi, gravatè in rempublicam recipiuntur, quia recenter natis peregrini videntur, vel quia bona non guſtata minus deſiderantur. Luſtrum tenuit magnitudinem Romanam, quoties intermiſſum torpuit Romana virtus, quoties renovatum, ſeipſam velut noſcens movit lacertos, profundo excitata ſomno, ac niſi valentiſſimâ republicâ celebratum. In Occidentalibus Europæ partibus, aut etiam alibi, quâcunque unius dominatus abſolutum tenet imperium, armatum luſtrum videre nuſquam eſt, metus inde regnantibus, ne coëuntes cives & ingenui; de abſolutâ ſibi conſulant libertate. Quid ni ergo pericloſum, liberis populis, in mores Monarchici dominatus cultorum avidiùs ruere; Sed quo penna & bone affectus laberis? Jam ad curſum Hiſtoricum redeo.

Annus Christi, MDLXXIII.

APproximante interea ſeptima die Januarii: cuncti Senatorum è Polonia, Ruſſia, Lithvania, Boruſſia, Livonia, ac reliquis gentibus ſub nomine reipublicæ latentibus, item è ſingulis Palatinatibus, equeſtris ordinis delegati, Varſaviam confluebant. Poſtquam dicta illuxit dies, ſenatus cum legatis provincialibus, in templum proceſſit, pulchro more quæque comitia ab auſpiciis Dei incipienda ratus: inde in curiam ventum; ſenatorium conclave ſenatus, ſuum quoque delegati Provinciarum ingreſſi. Prima cura inceſſit ſenatum, de ſecuritate Comitiorum; Legatos verò de eligendo collegii Principe ſeu Marſchalco, pro more directoriæ poteſtatis, à ſingulis ſententias petendi, notandi, coæquandi. Poſtquam utrumque perfectum; miſſi ad ſenatum, qui peterent tempus conclave ſuum ingrediendi, quoniam haberent nonnulla, quæ ſenatui nomine equeſtris ordinis referrent. Facile conceſſum. Tum ingreſſi in ſenatum legati, ac omnium nomine ſic locutus coram Marſchalcus.

In-

Ingredimur Legati tuum conclave magne Senatus, novas facies ferentes, quia nova ipſius ſenatus vel quòd univerſę reipublicę nova jam eſt facies: ingredimur enim, non ut antea Sigiſmundi Auguſti in hoc Solio regali regnantem dextram exoſculaturi, non ut ſalvo principe ſalvam tantum rempublicam habeamus vobiſcum conſulturi, verùm & Principem deploraturi, & utrumque, tua verò (parce Senatus) causâ, quia utrumque Reges fatum aufert, alios verò benigna numina populo conferunt, quia plures dari & auferri poſſunt, aſt reipublicæ ſalus unica eſt, & perdita dari ultra non poteſt. Nobis item non adeo dolendum foret, quia principem mors abſtulit, qui ultra eligere poſſumus, ſed quia rempublicam periclitari videmus, ea verò luctus maxima eſto cauſa. Septimus menſis agitur quo neſcimus magiſne funera Sigiſmundi Auguſti reſpublica ſentiat, an veſtram ſenatores, tuam verò Interrex, maxime incuriam, quem reſpublica à recepto Archiepiſcopatu perpetuum Primatem ac Interregem habere voluit, ne ſi primum poſt regum funera in eum creareris, qui nunc es, vel

 crean-

creantium mora noceret reipublicæ, vel tu ipſe primum factus, officio uti ignorares. Jam verò cui ſtatim poſt fata regis comitia dicendi poteſtas erat, quia hunc in diem uſque prolata, juſtè conquerimur nomine Palatinatuum noſtrorum, quorum delegati huc venimus. Nec minus veſtra intererat Senatores conſilia Interregi porrigere, quæ regibus dare tenemini, & in hoc periculo reipublicæ, quæ deſtituta nunc jacet, agere diligentius oportuit. Conſiliis ſciat vos habere ſibi reſpublica Senatores, non titulis, officium tenere arbitramini non honorem, tum verò honos futurus dum officio ſatisfeceritis. Non hæ ſellæ curules faciunt Senatores, ſed labor, ſed vigilantia, in republica, Sellas ſcitote datas eſſe Senatui, non ad quietem, non ad inutile otium, ſed quia longum & cum labore de republica conſulere oportet, ſtando autem faſtidium brevi capitur, brevi autem fit quod ſtando perficitur, An forſan non in eadem navi periclitari, non eadem reipublicæ ruinâ, quâ nos obrui ſperatis, qui tardè velut in alieno periculo laboratis. Si æterna nomina contemnitis, officii ſaltem

tem

tem veſtri, conſcientiæ, Dei curam gerite. Cui nam hæc mala quæ præſenti interregno perpeſſi aut perpeſſuri ſunt plurimi inuri creditis? nonne vobis? imò verò vel maximè: vos injuriam feciſtis, qui non obviaſtis. Non quæſo in aliquem veſtrum cadat, ut arbitretur ſellam ſenatoriam capere, eſſe honoris, à negotiis reipublicę abſtinere non eſſe vitii, ſi in publicis negotiis, unus alium circumſpectantes dicatis forſan ſinguli; Sunt alii perquam plurimi, qui de republica conſulant, me unico abſente parva diminutio fiet Senatus. Nullus credite mihi tum reget rempublicam, ſi verò paſſim dictitetis. Neſcio utrum ille vel alter aderit conſiliis, verùm ego pro munere adero, tum reſpublica felix futura, tum ejus curam univerſi ſuſcipient, dum ſinguli cæteros in dubium vocando aderunt. Agite tandem Magni Senatores quid ultra reſtat? en univerſi convenimus nobis mutuò non defuturi, conſulamus tandem Patriæ labenti. En vidimus quam multi Palatinatus nequaquam bono exemplo ſibi in partibus circulos fecerint, & vim Comitiorum falsò uſurpârint, licet tamen à liber-

tatę

tate non aliena tulerint, & quæ credo authoritate horum Comitiorum, non improbabuntur, authoritas tamen reipublicæ non leviter diſtrahitur. En univerſa diutino interregno in factiones ſciſſa. Nulli bono interregna placent, aſt vitioſo cuique nuſquam ſatis: haud diu ergò procraſtinandum, ne aut ignorare videamur eligere, aut concordes fieri, ut eligamus.

Nimis acerbè in Senatum hæc dicta videbantur à Marſchalco, verùm quia nomine conſeſſus Legatorum loqueretur, modeſtiùs tulit, præſertim cum à vero non diſcreparent (mihi prorſus non conſtat cur tam ſerò comitia, ne dum verò electio habita ſit, cum antea bimeſtere interregnum grave haberetur; niſi error Archiepiſcopi in cauſa, aut ſtudia quorumdam diſſidentium in religione, qui ſeveritati legum antiquarum, contra ſe latarum, demptum per contradictiones voluère, tutiusque ſibi procraſtinationem inter, factione graſſandum credebant) Breviter reſponſum legatis. Non ſibi eam calamitatem debere imputari, ſed malefaventibus fatis, quæ dum ſuum ordi-

ordinem ſequuntur, hominum conſilia ſurſum verſumque agunt, & ulli voto obtemperant. Grates potiùs habendas Numini, quod tam diu concuſſam Patriam meliùs voluerit habere, cum univerſas Provincias in unum coëgerit, unde bonum omen potius ſumerent, nec deſperarent brevi habendum Regem, quem univerſi habere vellent, interim agerent legati, quæ tempus poſceret & reſpublica. Pòſt hæc apertæ literæ Ivoniæ Palatini Valachiæ, Magni Tartarorum Han, & Turcarum Imperatoris. Princeps Valachiæ teſtatus amicitiam populo Polono, pro ſpontanea ſubmiſſione, & ſubjectionis juramento (more anteceſſorum regno Poloniæ præſtito) credo eà ratione tentavit amicitiam, ſeu patrocinium Polonorum, contra vim Turcarum Principis unde bellum ſperabat. Lectæ iterum literæ Magni Tartarorum Han, quibus (amicitiâne, vel aſtu, dubium:) ſuaſit ne è Moſchorum gente regem Poloni caperent, ſi rebus benè conſultum vellent, ſemper Moſchum Polonorum fuiſſe nativum hoſtem, item & Tartaricæ gentis, neque poſſe eo regnante, inter Po-

Polonos Tartarosve, fœdera firmum teneri, potius aliis in gentibus Regem quærerent. Aperta demum Epistola Turcica unde nihil pręcipui intellectum, quàm petitum pro Hano Pręcopensi Tartarico; Ut stipendium quotannis pendi solitum Tartaris Præcopensibus, tum verò aliquandiu detentum, solveretur. Ad ea fremebundi respondere ordines; Bello puniendos potiùs Tartaros, qui non ut stipendiarii, sed velut hostes, proximo anno xxx millium exercitu, Podoliam invaserunt, & aliquibus vicis incensis, opimam in suam terram traxêre prædam. Nec sufficere authoritati reipublicæ, quod per Bucacium Capitaneum Camenecensem cum tumultuaria manu militum impugnati, & magna ex parte diminuti forent, sed graviter ferre populum Polonum (responsum) quod ea invasio ultra datam sibi fidem accidisset. Post hæc loqui cœptum, de ordinanda republica, de securitate Electionis, loco, & tempore, demum de stipendiis scribendo militi necessariis. Ad ordinem interregni: placuit sequi sententiam conventus Cracoviensis, & aliorum Palatinatuum, quorum con-

consulta supra recensita. Electioni dies *VII* Aprilis dicta; locus, medio Varsavia lapide, in subjacenti campo. Dum enim Regem eligere oportet, non per delegatos, Comitiorum more, sed per se rem agit nobilitas; tutiùs credens Comitiorum negotia legatis concredi posse, ac conciliorum errores faciliùs corrigi, quàm si malum Principem elegerint. Conferre item ad securitatem imperantium, & obtemperantium constantiam, Regem per omnes eligi, bonos namque malosve elegerint, non aliis sed sibi imputari, & sine murmure quemque laturi. Quare illi multitudini nec curia, nec conclave sufficit capiendo, unde militariter sub dio, eligere mos tenet. Sic illis Comitiis de securitate Electionis diligenter actum. Sclopos, arcus, & alia præliorum arma circumferre, severius prohibitum. Famulitium à loco collegii semotum, ut omnio componerentur ad quietem & modestiam. Quod verò tributa attinet. Non agricolę, non opifices, non cauponarii & mercatores, non ministri horum omnium, in vicis, urbibus, & oppidis, absque tributo missi, item Schismaticorum sacrificarii & Armenio-

rum, à ſingulâ marcâ cenſus, molendinarii à lapidibus, nautæ à navibus, Judæi à capite, denique quæque perſonæ, ſub titulo nobilitatis non laterent, contribuere juſſæ, ceſſere quoque infulati Senatores; bono exemplo ac zelo Cleri nomine, parte decimarum ut in ærarium deferretur unde ingens corraſum æs, multis millibus equitum peditumve in copia ſufficiens, quare firma limitum parata præſidia, ne provocaret in arma facilitas invadendi, amicos æque ac hoſtes. Poſt hæc ſolutum Collegium convocaverat interea ſeptima dies Aprilis Electioni novi Regis data, Senatum, & cunctos equites. Jam Varſavia, jam circumjacentia oppida adventantium multitudine anguſta erant, verùm partim tanti actûs gravitas omnia compoſuerat in modeſtiam, partim ſinguli ſeſe mutuo circumſpectantes, ſignificavêre quoſque motus ſibi damno, quietem verò ſuo ſervituram commodo. Ad collegii præparamentum & animorum alacritatem ſola deſuper deſiderabatur gratia. Hanc in diva æde ordines quęſivere DEO & Matri Virgini pro more gentis vota ferentes, ut ab illis alta-

altaribus, extra urbem bono progrederentur Omine. Stetere multa virorum millia in agro. Equites per Palatinatus & tentoria diviſi. Senatores cum interrege pro authoritate mediis conſedere caſtris. Placuit legatis externorum Principum dari conſeſſum, ac primum legato Marchionis Brandeburgici Ducis Pruſſiæ uti Vaſallo & domeſtico, vel quod neceſſaria quædam ſe allaturum dictitabat. Is multâ oratione poſcebat ſuo Duci locum dari in Senatu. Civem Polonum eſſe dicens, titulo Pruſſię & prætextu, quam nomine fiduciario à republicâ teneret. Huic reſponſum. Sufficere Duci beneficium reipublicæ, cui tanti Feudi munus contulerat. Locum verò in Senatu & ſuſtragium in eligendo rege non poſſe concedi. Intromiſſus poſt eum in plenum utriuſque ordinis conſeſſum legatus Pontificis, Joannes Franciſcus Commendoni Cardinalis. Hic ſalutatis ordinibus literas ſecretas à Pontifice reddidit: Tum ipſe eum in modum latino ſermone locutus; cujus formalia ſuggero.

Quæ Pontifex Maximus in veſtra regis eligendi F 2 *deli-*

deliberatione gravissima atque maxima à Deo precatur, ut vestræ mentes atque sententiæ Divino instinctæ Spiritu, salutem vobis, & huic regno incolumitatem & dignitatem præstent, eandem mandatorum meorum & legationis summam esse voluit. Nam quemadmodum sua Sanctitas indictis Romæ ad omnia templa publicis supplicationibus, & suis & populi precibus DEUM placare non destitit, ut Regem vobis concedat qualem & vestræ & universæ reipublicæ Christianæ tempora postolant; ita vos hortatur, ut in re tanta, quantâ major vobis nulla esse potest, non tam quid in præsentia ipsi possitis, quàm quantum momenti in eo sit, quocunque judicia vestra inclinârint, animo reputetis, atque hac potestate sapienter utamini. Est enim res hujusmodi, ut in unius decreti vi summum aut salutis aut exitii discrimen vertatur. Quæ intelligens Pontifex, sicut ex litteris, (quæ modò recitatæ sunt) audivistis, haud minus quàm Christianæ reipublicæ Parentem decet, sollicitus de vestra salute, Comitiorum consiliorumque vestrorum exitum spectat. Verùm ego vellem, ut ex eo templo, unde pias ad DEUM preces pro vobis mittit, quâ pace, quâ tranquillitate interregnum hoc, unà vos Patriæ charitate, & legum reverentiâ conjungente, peregeritis, intueri posset. Bonam profectò spem ex vestra virtute percipe-

ciperet. Est enim singularis exempli res in libero regno rege diu caruisse, & silentibus Regis morte propè omnibus legibus, omnes tamen ex lege vixisse, & suam cuique voluntatem, suum cuique in Patriam studium pro lege fuisse, ut in tot nobilium & maximè militarium hominum millibus nullus tumultus aut vis, nullæ seditionum turbæ extiterint, nullus omninò armorum sonitus auditus sit. Quod cum vobis ipsis salutare & præclaro posteris vestris exemplo fuerit, tum certè apud omnes nationes moderati animi admirationem habebit. Quam ego gloriam & vobis ex animo gratulor, & mihi ipsi meo quodam jure gaudeo, cui in his quæ de vestris laudibus, & republica prædicare consuevi, tam illrustre testimonium dedistis: Quod si quâ pietate, orbati rege, pacem patriamque servastis, eandem hoc in loco, in dicendis sententiis ferendisque suffragiis retinueritis, si unam animis rempublicam complectemini, si nihil nisi ex veteri more & majorum institutis, quibus hactenus respublica stetit ac floruit, agi patiemini, equidem non modo spem, sed lætitiam delecti concordissimè optimi regis, jam animo percipio. Eam vero vestræ reipublicæ formam considerans, admirari soleo sapientiam majorum vestrorum, qui regni & libertatis modum ita temperarunt, ut inter supremam unius potestatem, & dissolutam multi-

multitudinis licentiam, tam firmam tuendarum legum, & propagandi imperii rationem excogitârint. Hanc illi innumerabilem Equitum multitudinem amplissimo diffusam regno, paribus viventem legibus, (& æquo inter se jure ita viventem, ut una aliqua videatur esse ingens civitas, quæ multas & longe distantes provincias sit complexa) haud alio imperio regi posse, quam regio intellexerunt. Cum verò hoc quemadmodum est præstantissimum, ita sit periculosum libertati, iidem utrumque viderunt, & rege rempublicam indigere, & ne Rex gravis communi libertati foret, providendum duxerunt. Cum magistratus in republica institui nullus posset, qui regem potestate anteiret. Spiritualem ordinem assumpserunt eumque in specula libertatis, & præsidio reipublicæ collocarunt, nullumque sine eo publicum consilium esse voluerunt. Cum enim Episcopi instituti in populis sint, tanquam nuntii & interpretes DEI, ad eorum dignitatem per se maximam adjecêre humanas opes honoresque in republica amplissimos, quibus communiti & regem in officio haberent, parentumque Majestatem apud eum obtinerent, atque inde custodes ac vindices libertatis existerent: quod sæpe factum esse rerum vestrarum scriptores memoriæ prodiderunt, ut efferentem se regum licentiam, saluberrima Episcoporum admonitio coërcuerit.

euerit. Quamobrem cum ita respublica sit constituta, ut fundamenta libertatis, in religionis & ecclesiæ ordinis dignitate collocaverit, nemo, ut arbitror, dubitat, quin necessarium sit ad statum reipublicæ conservandum, ut regem avitæ & Catholicæ pietatis cultorem habeatis, ne si spreta fuerit aut etiam ejecta Ecclesiastica authoritas, tanquam evulsis iis radicibus, quibus primum fixa & confirmata est, vestra libertas evertatur ac concidat. Cujus rei exempla utinam nulla haberetis, quæ nimis multa vobis ad cavendum horum temporum pravitas præbuit. Sed profectò videmus in quibus provinciis par tuendæ libertatis ratio instituta erat, in iis sublatis per eorum dominatum (qui à Catholica religione desciverant) episcopis, non solum libertatem oppressam, sed & nobilitatem extinctam esse, & omnia sub unius arbitrium voluntatemque redacta. Id ne vobis accidat, vestræ inprimis prudentiæ, vestræ in patriam pietatis est providere. Ut regnum hoc nobilissimum quod semper propugnaculum habitum est Christianæ reipublicæ, iisdem rationibus conservetis, quibus initium stabilitum esse intelligitis: Id enim, id, fortissimi Equites, est firmamentum vestræ libertatis, quod qui comminutum & labefactatum cupiunt, eodem tempore concuti totum, & dissolvi rempublicam volunt.

Multa

Multa vos quidem & magna à DEO beneficia habetis, qui regnum vestrum à Baltico mari ad Euxinum, ab Odra flumine per immensa regionum spacia Boristhenem ultra propagatum, tantis rerum opportunitatibus auxit; sed pulcherrimum illud est, quod eligendi regis facultatem vobis tribuerit, ut regem habeatis, non eum quem sors ex certa hæreditatis lege dederit, sed quem vos ipsi dignum (à quo regamini) judicaveritis, quo profectò in rebus humanis nihil videtur esse præstantiùs. At non hoc solum munus dignitatis & amplitudinis plenum vobis elargitus est DEUS, sed munus ipsum novo, & nobiliore munere cumulavit, cum id non humanis viribus aut opibus (quanquam ne his quidem, vos non abundè instructos esse voluit) sed bonorum omnium maximo & potentissimo, Catholicâ religione fundavit. In qua utinam omnes consentientes essetis, neque hæc novitas & varietas opinionum, quibus scinditur Christiana respublica, in Poloniam unquam pervasisset, & in hanc gentem, quæ suis juncta & consentiens legibus, præsidio esse Christiano nomini potest, hoc malum invectum esset. Quo ægrotare vestram rempublicam & ipsi sensistis, qui proximo Warsaviensi Conventu ei mederi cupivistis, &c.

Hic de una religione longùm admodum disseruit & facundè. Quàm felix respublica futura,

tura, si vera ei contingat religio, quam infirma & ad casum properans, si adulterata & varia. Longum foret recitare totam Legati orationem, quam prolixius perorabat, solum subjiciam Epilogum.

Decernite ergo nunc concordibus vocibus regem eum, qui maxime reipublicæ utilis sit futurus, qui vestro beneficio ad vestram salutem utatur, qui cum à vobis creatus & tanquam genitus Rex fuerit, evadat ipse Patriæ & vestrûm omnium Pater, amator reipublicæ, conservator legum, idem erga DEUM pius, fortis adversus hostes, in gubernandis gerendisque rebus peritiam, in jure dicundo justitiam diligentiamque adhibeat, in domestica consuetudine humanitatem, in omni publica actione dignitatem Majestatemque retineat, nec ipse voluptatibus occupetur, nec juventutem languescere otio patiatur, sed exemplo & præmiis, bellicæ disciplinæ laudem excitet. Sit regia domus tanquam templum pudoris, modestiæ, religionis, ut liberi vestri quos in regis ministerium traditis, ex ea velut scholâ virtutum, digni Parentum honoribus evadant. Haud ego sum nescius regem his præditum ornamentis, oratione effingi faciliùs quàm inveniri; verùm neque vobis defuturus

est quærentibus, & ut talem habeatis, multum in vobis ipsis positum est, non solum deligendo illum, sed etiam instituendo. Quem enim non optimum regem efficiatis, si quot estis Senatores, tot monitores regum esse volueritis? si regis salutem quàm gratiam malueritis? si publica commoda privatis utilitatibus antetuleritis, si denique hoc propositum habebitis diligentissiméque operam dabitis, ut & vos ex legis præscripto regis imperio obedientes sitis, & rex ita obsequio utatur vestro, ut se liberis & volentibus imperare intelligat; hoc enim modo & res Polona augebitur, & libertas vestra conservabitur, nec dominatu offensa, nec corrupta licentiâ, quæ plerumque falso libertatis nomine exitiosam servitutem concipit, ac parit. Ad hunc statum rerum vestrarum tuendum communiendumque, vos Pontifex hortatur, atque ad eam rem mihi mandavit, ut & in præsentia vobis, & paulo post, simul vobis, simul regi vestro summum Paterni animi studium pollicear, ac deferam, ut omnia vos quæ non solum conservando, sed etiam augendo aut ornando huic regno sint, haud aliter ab se quàm ab optimo Patre postulare atque expectare velit: tum sicuti vobiscum egit de rege (réque vestra) eligendo, vobisque author fuit, nihil à Majorum con-

suetudine & rationibus discedendi, ita regem quem elegeritis verbis suis admonere me voluit; ut memor à vobis accepti regni parem vobis gratiam referre studeat, nihilque sibi aut ad fidem præclarius, aut ad charitatem optatiùs, aut ad stabilitatem firmius, aut ad nominis sui commendationem amplius ducat, quàm ut hanc rempublicam, hoc libertatis jus, sertum tectumque retineat, ac defendat. Me verò ipsum commodis atque utilitatibus vestris, quantum opera atque studio meo effici possit diligenter sua Sanctitas inservire jussit, in quo quidem si quantum voluntatis atque animi, tantundem facultatis esset de vobis merendi, etsi pietati & amori erga vos meo nunquam satisfacturus essem, vobis certe ipse satisfacerem. Hæc sunt de regno, de vobis, de novo rege Sanctissimi Domini nostri mandata, hæc vota Parentis reipublicæ, hæc ut consequi possitis suis ille vos precibus DEO commendat, id maxime orans, ut actionem hanc, in qua vestrum omnium salus vertitur, suo Sancto Spiritu regat, ut his comitiis, eum regem consentientibus studiis renuntietis, sub quo florentissimi beatissimique vivatis.

Gratè sunt accepta vota Pontificis, atque gratiæ habitæ pro Paterno affectu & moni-

 tis,

tis, nec errare Pontificem (reſponſum) quod florentem rempublicam Polonam vellet; eam felicitatem totius Chriſtianitatis eſſe, Polonos inconcuſſos ſtare, & barbarorum telis opponi pro orbe Chriſtiano. Ea die non ultra ſeſſio habita, protraxerat diem longior ſermo legati Pontificii uſque ad veſperam. Romanorum Imperatoris Oratores ſequenti luce adeſſe juſſi, dum intromiſſi in collegium. Eorum alter eo ſenſu locutus. Non intra limites tantum hujus magnæ Patriæ, Sigiſmundi Auguſti Regis veſtri, triſtis animos populorum occupavit memoria, verùm per vicinas vobis gentes, imo totam Europam latè diffuſus mortis rumor, triſte infimis mortalibus ſpectaculum præbuit, qui ſic cadere magna vident, triſte principibus, qui cum omnia poſſint, iras tamen fatorum vitare nequeunt: verum ad Maximilianum Imperatorem Romanorum (cujus nomine huc adventamus Oratores) magis quodammodo pertinere viſum, qui jam non jure communis mortalitatis, verùm neceſsitudinis, quæ partem cum magna Jagellonidum domo, partim cum veſtra republica antiquitus interceſ-

ſit,

ſit, dolere ſibi neceſſum videt, cum Sigiſmundi Auguſti funere, ultimi ſtirpis Jagellonum, & tantæ conſanguinitatis domus, & amicitiæ ſecum populi Poloni, grave pignus amitti ſentit. Ideoque nunc per nos Oratores ſuos, cum veſtra republica, antiqua propinquitatis fœdera, confirmare: nec ſe fato Sigiſmundi ab amicitia Populi Poloni alienari velle, ſignificare ſtatuit, è veſtra parte eadem expectaturus. Quia verò vos in ea parte verſari didicit, quod majorum veſtrorum more, vacante imperio, ad novum eligendum Principem deſcenderitis, ſummum implorat numen & præcatur, ut vota veſtra eum inveniant Principem, cujus annos reſpublica virtutibus metiatur, Chriſtiani Principes amicum habere gaudeant, hoſtes inimicum vereantur. Ad cujus Electionis gravitatem, licet minimum dubitat Imperator, tibi, magne Senatus, vobiſque, liberi Equites, digna deeſſe judicia, quominus capere Principem ignoratis, qui tantum regitis imperium, quominus (dico) malum inveniatis, quem niſi vobis quæritis; noluit tamen ea præterire per nos legatos ſuos ad vos deferen-

do,

do, quę huic judicio non inutilia judicavit perficiendo. Quibuſcunque populis factorum veſtrorum fama non eſt ignota, iidem probe ſciunt, hanc Chriſtianam rempublicam, cum multa alia in eligendo Principe, tum vel maximé Catholicam fidem quæſiviſſe, cum ſanctius fidem ſibi ab eo ſervari crederet, qui vera fide Superos coluiſſet; neſcio enim, quomodo eos veremur homines, qui diverſos à nobis colunt ritus, niſi forte quod in minimo facile adverſari credimus, qui differt in maximo. Cum verò Divinorum majores veſtri curam habuiſſent nec humanam intermiſêre authoritatem, claritas Stirpis, domus antiquitas, magna Majorum nomina, & multæ imagines, in ejus genere quæritabantur, qui cæteris imperaturus eſſet, ne ſecus incolis contemptui, aut vicinis foret ludibrio; non enim purpura ſat tegi credebant, quæ generis fædaret obſcuritas. Nec ſatis in imperante viſum, Majorum gloriâ velut alienâ virtute clareſcere, ni ſua quoque probaretur, ab animo eum metiebantur, à pacis & belli caſuum notitia, à juſtitiâ, tum cæteris multis & Principe dignis virtu-

virtutibus, uti plures ſemper in eo deſiderantur qui pluribus præeſſe debet. Talem verò vobis Imperator unum ex filiis offert, alter eorum eſt primogenitus, nuper ab Hungariæ ordinibus dignus ſceptro judicatus, & in regem coronatus, alter Archidux Auſtriæ *Erneſtus*, ob virtutem maximo regno dignus. Sed quia ut illum alterum in regem eligatis, illud forſan prudentes ſententias veſtras remorabitur, ne duorum populorum Rex factus alterum negligentiùs habeat, qui re non titulo regem habere, & regi vultis, quem extra regnum commorari, à temporibus Uladiſlai Ungari Regis veſtri veremini. Quid ni ergo Archidux Auſtriæ *Erneſtus* veſtri Sceptri capax judicari poteſt? Hunc cum ego Auſtriacorum clariſſima domo procreatum dico, & de claritate generis, & Majorum magnis nominibus, zelo Catholicæ fidei & pietate, ſat me dixiſſe credite, nec amplius à me dici poſſe expectate. E magna domo quid ni magnum naſci creditis? è Principibus quid ni Principem? Si primam tanti Principis ætatem repetere audeo, aut ſacrilega plane audacia, facta curioſiùs ſcrutari, Is ſat generoſum animum

animum à juventa habens,(cum ulterius illustri domus suæ fortunæ pararet) Hispanias visurus cum germano suo fratre, Rege Hungariæ, ab Imperatore Parente profectus est, cum non ignoraret quantum unicuique magno Principi conferre posset,externarum linguarum, seu terrarum, seu morum populi notitia, scivit item eos, qui è domestico lare in forum pedem non efferunt, non plus scire posse, quàm familiares penates sibi peperêre: Multa quidem de circumfuso orbe & ejus populis,quà legi quà audiri posse, verúm quæ per oculos in animum invehuntur,fidelius in mente residere,non enim fieri potest, ut is varia ignoret, qui varia vidit. Facilius item audiri potest in externo, quid de sua vita suique populi institutis alieni populi sentiant, quàm cum inter certamina blandientium domesticę gentis senescitur. Ex eo itinere ad Imperatorem Parentem utrìque regressi, suæ prudentiæ non ignota dedere exempla, magnis quà belli quà pacis negotiis & sententiâ & facto sæpius præfuêre. Cujus virtutis ergo,alteri horum à Statibus Hungarię Sceptrum & Corona oblata, alterius verò fortuna in excelso.

celso. Non vos quæso terreat linguæ diversitas, minimus hic obex est, haud alia facilitate Polonæ linguæ dialectos, Archidux Ernestus capere potest, quam aliorum externorum didicit; imo è Boëmicæ gentis hominum consuetudine, nonnullam lingue facilitatem (quę vestræ haud dispar est) contraxit. Sat de Persona à me dictum, Ad commoda quæ abundè in hanc rempublicam derivari possunt, transeo: Multa vobis cum Turca potenti, Tartaro immani, Moscho crudeli, & cæteris populis intercedit hostilitas, à quo autem plus auxilii sperandum foret? quam ab Imperatore Romanorum, aut à rege Hungariæ fratre vestri Regis futuri? Facilius mihi credite è vicinia, auxilia haberi possunt, quam si è remotioribus terris Principe quæsito, remotiora fœdera pararetis. Gravis item cum de Prussia tum de Livonia inter vos & imperium Romanum seritur quæstio,ut nisi illi sopiendæ, idoneæ ineantur rationes, gravissima dabitur aliquando motuum causa & materies. Cui rei inter vos componendæ per Archiducem Ernestum justa dabuntur media, qui in regem coronatus,facilius

 nego-

negotium aget cum Parente Imperatore Romanorum. Item alia commoda, quæ licet in compendium trahantur verborum, perquam multo tamen ſermone indigent, quia nimium multa ſunt. De libera navigatione Narvæ fluvii præſtandâ, & veſtris negotiationibus valdecommodâ, Imperator curæ ſuæ futurum ait. Item de Barenſis ducatus, & Roslanenſis Principatus negotiis nec non reditibus Neapolitanis, Poloniæ regno ut æquis rationibus ſatisfiat, pacificatorem aget Imperator inter vos Regemque Hiſpanię Patruelem ſuum. Aut ſi è re veſtra cenſebitis, eodem mediatore Hiſpanorum Regis vobis parabuntur fœdera & auxilia, terra marique. Etſi ſcio tantum vobis ineſſe virium qui undequaque hoſtibus circumſepti, tot ſęculis & reſiſtere & vincere quoſque in ęquo habueritis, juvabit tamen ad majorem hoſtium formidinem, tantorum Principum fędera appetere, ut ſciant univerſi non vos in partibus poſſe laceſſiri, niſi tota Europa ſimul bello petatur. Ut verò ad privatos hujus Electionis commoda redundent; Imperator centum juvenes è Nobilitate veſtra partim

partim Polonę, partim Lithvanæ nationis, ſuo ære ſuſtentabit Viennæ, & alibi in Germania, Gallia, Italia, vel Hiſpania, ut in aulis Principum commorentur, honeſtis artibus erudiantur, linguas caleant, unde non indecora veſtræ reipublicæ parabuntur ingenia. Nec reliqui Auſtriaci Principes ingrati tantæ in ſuam domum propenſionis habebuntur, à ſingulis aliqua in veſtram rempublicam redundabit gratitudo. Rex Hungariæ *Rudolphus* ad ſupremam diem Erneſti, vini Ungarici vectigalia (quod per vos in copia quæritur) Polono à limite nulla ſtatuet; Neque hic meta commodorum, ſed gradus. Probe novit Imperator quantum gens Polona ſit fortis & bellicoſa, quantum ea ſua virtute & militari ſcientiâ non ſuæ Patriæ modò, ſed toti Chriſtianæ reipublicæ uſui eſſe poſſit, ideo curæ illius futurum, ut apud Hiſpaniarum Regem ad militaria munia optimaque ſtipendia pleroſque promoveat. Ne vero ad fucum loqui videamur, data eſt nobis ab Imperatore noſtro poteſtas, eum coram vobis in Perſona noſtrûm obligandi, nec in his modo quæ nunc retuli, ſed

ſed quæ à vobis in Pactis conventis proponi poſſint. Minime ego dubito de tua, Magne Senatus, veſtrâque liberi Equites, in Auſtriacam familiam propenſione, ut purpuras hujus reipublicæ ad eam deferre dubitetis, quia & bonum Principem habituri eſtis, & cum eo hæc quæ retuli commoda, veſtrę reipublicę parantur; credo vero à nemine Competitorū hujus magnę coronę ſimilia vos ſperare poſſe. Et hęc ſunt quæ nos referre vobis noſter voluit Imperator.

Nihil tum ad ea reſponſum legatis, ſed eventum electionis expectare juſſi, ne tamen abirent ut non auditi. Grate acceptum Imperatoris in appetenda amicitia populi Poloni ſtudium, tum ille dolor, quem de obitu Sigiſmundi Auguſti regis per Oratores teſtabatur. Orta certamina Oratorum Galliæ & Hiſpaniæ, de ingreſſu in Senatum, verum Ordines, Gallos Oratores primum ingredi juſsêre: quo decreto motus Orator Hiſpanus, ne poſteriori loco dixiſſe videretur, maluit non auditus in Hiſpaniam regredi. Audito Oratore Imperatoris, in alteram diem adeſſe juſſi legati è Gallia, ea verò quæ ab Imperatore nunciabantur, ſub truti-

trutinam miſſa. Nonnulla vero ejus temporis, quæ interciderant, recitare me oportet. Sparſi erant famoſi libelli Varſaviæ per urbem, in Henricum Valeſium Ducem Andegavienſem regni competitorem; ut vero ſumma invidia manet circa purpuram, credebatur factum per Oratores, Imperatoris & Hiſpanos, hi vero libelli vitam & mores Henrici acrius proſcindebant, recenſebant multa & varia, quò accuſarent Henricum apud populum Electorem. Factum item per eoſdem Imperatoris Oratores, cum ſenatorum cuidam ſecreta proëmia obtuliſſent, ac bono in Archiducem Erneſtum animo eſſe per humanitatem juberetur, (ô dignum Patrię civem, quem inter magna virorum nomina reponam ſi tam nomen quam dicterium notum haberem) Reſpondit. Muneribus impervium animum teneo Oratores, Polonus ſum. Si hæc veſtrę erga me benevolentię ſigna ſunt, gratus lubenſque accepto, ſimilia amititię teſtimonia à me expectate, nullâ in cætera ſpe. Cum in palam promanavit factum, ut fama magnorum ſecretorum loquaciſsima, exacerbavit Ordines, ut contraria abhinc de Oratoribus Imperato-

ratoris ſentirent. Crevere inde partes Henrici ob modeſtiam Oratorum. Cum enim à Gallia primum adventarent, per literas teſtati proximioribus arcium Gubernatoribus, non ſe pedem illaturos in ſolum Polonum, prçterquam ab Ordinum decreto & Senatus facultate. Secus legati Cçſariani fecêre: Divulgata morte Sigiſmundi Auguſti, intravêre fines regni huc & illuc curſitantes, Equitum domos pariter ac Optimatum curias factionibus opplebant iiſmet qui compellarentur ingrati. Noſtra enim gens uti gravitatem morum retinet, ſic dicacitatem ſermonis notat & fallacias metuit à loquaci. Altera die Legati Gallorum Regis in collegium venêre. Quorum primus, *Joannes Monlucius* Epiſcopus & comes Valentię, in eum modum legationem orſus (verum quia nimis longior, hic mihi ſermo legati ad manus, deducam eum in breve narrationis compendium.) Hic legatus prę aliis attentam omnium aurem reperit, quia omnia ſine fuco & aperto animo loqui videbatur, tantoque attentius audiebatur, quanto plus inhęſerat animis, adverſus Oratores Imperatoris offenſa-

fenſarum. Ejus Oratio eo conſtabat ſenſu.

Si quanta terrarum intereſt, inter nos Gallos, veſtramque gentem Poloni, tanta foret amicitiæ ſeparatio, nunquam Rex Chriſtianiſſimus & vobis dolentibus poſt obitum Sigiſmundi Auguſti Regis veſtri condoleret, & in tam arduo negotio veſtro, cum unum quæritatis, qui omnibus rectè imperet, paria veſtra vota huic reipublicę obtuliſſet. Verum cum de veſtra gente ſemper Rex noſter cogitaret, quod ea ſola è tantis provinciis ſingulari Dei beneficio relicta ſit, quæ ad ſuſtinendos pariter & retundendos ferociſſimarum gentium impetus, ad reliquias Chriſtiani orbis conſervandas, velut arx quędam & munitiſſimum propugnaculum haberetur, atque ideo omnes Chriſtianos Principes vobis amicos eſſe debere prudentiſſime judicaret, & quia ſic judicavit, nulli unquam primas in eo concedere voluit. Nec alia de cauſa ad vos miſsi ſumus Oratores, quàm ut veterem amicitiam quæ Gallis interceſsit vobiſcum, colligeret Chriſtianiſsimus Rex, aut ſi ita vobis videretur, novo quodam vinculo eam ſibi jungere ac ſtabilire poſſet.

Hoc

Hoc quoque ſcire vos cupit, ut ſi quid interregni hujus tempore, aut periculi, aut incommodi vobis impenderit, aut ad illud effugiendum amicorum operâ vobis opus eſſe judicaveritis, quidquid opum viriumve per ſe aut per amicos habet, quidquid Gallici nominis valere poteſt authoritas, ea veſtra eſſe omnia intelligatis. Poſtremo, ſi in ea deliberatione, quam de rege habituri eſtis Exterorum Principum, (nobis ita ſtatuentibus) mentionem fieri contingat, fratrem Chriſtianiſsimum *Henricum Audium* Borboniorum & Alvernorum Ducem, inter purpuræ Competitores ut admittatis, vehementer rogat. Hæc ſunt Legationis noſtræ cupita, in quibus ego exorandis, non dolo, non inſidiis, aut ſecretis internuntiis, non fictis verbis ad tempus tantum accommodatis, non ambitioſis precibus, non ſparſis famoſis libellis contra competitores alios, non inanibus promiſsis, quę preſtitu admodum ſunt difficilia, aut omnino impoſsibilia. Sed Gallus homo cum ſim, & ideo ſimplex & candidus, verè, ſincerè, & candidè vobiſcum agere inſtitui. Et quemadmo-

modum prudentes Patresfamilias, de facultatibus illius, cui filia nuptui eſt danda, agitur, primum de animi & corporis dotibus, poſtremò de bonis fortunæ accuratè inquirere ſolent, ita ego primum de Illuſtriſſimi Ducis origine, nobilitate, ætate, moribus, de ingenii dexteritate atque in rebus gerendis exercitatione, & in re militari peritiâ, deinde quæ vos ab eo ad res veſtras conſtituendas, commoda ſperare poſſitis, quàm paucis potero complectar. Multa ego in rebus veſtris pręcipua, ſumma cum admiratione obſervare ſoleo, quibus quidem effectum eſſe exiſtimo, quod vos fere ſoli, Regis eligendi facultatem & cætera libertatis ornamenta ad hanc uſque diem conſtanter retinuiſtis, cæteræ autem gentes, aut ſaltem aliquę, quæ & ipſæ liberę & ſui quoque juris fuerant, libertatibus ſuis nunc exutæ, humi proſtratæ jacent, & tanquam cadavera extinctæ libertatis, à prætereuntibus non ſine ſtupore ſpectari ſolent. Illud primum eſt quod Comitia veſtra numeroſiſſima, ad quę tanta Nobilium multitudo confluere ſolet, à peſte illa, id eſt, à largitionibus

& corruptela (quæ Romana comitia infecerant) fuere ſemper ac ſunt alieniſſima, atque inde magnam veſtro nomini integritatis, ac erga Patriam fidei gloriam comparaſtis. Altero loco concordia & animorum veſtrorum ſocietas conſtitui debet, quæ res veſtras ad id quod optabatur feliciſſimè perduxit. Aſt illud ſummum quod ego mirari ſoleo. Cum majorum veſtrorum ſuffragiis reges illi electi fuêre, qui cum potentiſsimis regni hoſtibus bella diutiſsimè geſſerunt, qui irrumpentem in Poloniam Barbarorum colluviem armis ſuis repreſſerunt, & provincias ademptas regno veſtro adjunxerunt. Germanos præterea, Ungaros, Boëmos, Tartaros, Moſchovitas, (populos certè ferociſsimos) toties fugatos atque caſtris exutos, ad proprias ſedes redire coëgerunt, hoc verò aliud quid eſt aut dici debet, quam veſtra in regibus eligendis felicitas? Et eandem veſtro officio nunc adfuturam precamur ex animo. Id autem eſt quod in tanta competitorum ubertate, quem Principem ſumere debeatis, vix ſine labore & animi moleſtia ſtatuere poteritis. Dum enim ad purpuram

ram contenditur, quique probos ſe venditant aut rectos, pari ambitu ſua, quę cum virtute conjuncta in conſpectu populi ſiſti, ac minima vitia tegi deſiderant, ut in ea falſa multorum probitate, plerumque optimo regnum dari videatur, cum datum fuerit ſecus accidat; gentis tamen claritas, generis ſplendor, non immatura annis ætas, morum non ficta probitas, in republica adminiſtranda exercitatio, & re militari uſus atque felicitas, in eo ſemper quæritabantur, ad quem Principatus deferri deberet. Hæc qualiter ſe habeant in Duce Andium videte. Is è Valeſiorum magna ſuſceptus domo, quæ à ſexcentis annis continua regum ſucceſsione, Galliam ſub ſceptris habuit, & nunc feliciter tenet, quę non apud vicinas gentes tantum, laureas ſibi parare voluit, ſed extra Europam velut domo egreſſa, Africam, Ægyptum, Palæſtinam, Syriam victoriis oberrando, orbis triumphos êgit. Cum vero de Valeſiis me loquentem auditis, eos natione Gallos eſſe aut jam ſcitis, au facile conjecturamini. Cui genti nullę unquam vobiſcum interceſſere inimicitiæ, nullę ſimul-

ſimultates aut controverſiæ, tum quia propter magnam morum ſimilitudinem, magna inter Nos Gallos & Vos Polonos fuit animorum conjunctio, tum quia à vobis longiùs diſſiti, remotiùs à cauſis injuriarum abfuimus. Accidit verò ut quorum collimitanea imperia certi termini, eorum & amicitias ſeparent. Magnum credite mihi momentum eſt, ad bene habendam rempublicam, ex amica gente (datur enim ſæpe populi in alium populum natale odium) Reges ſumere, qui ut amici vos regant non ut hoſtes, proclive autem eſt eos ſemper fore amicos credere, qui nuſquam antea fuêre inimici, qui vero diſſimulata ſuæ gentis odia & vindictam ad principatum ferunt, Ii Tarquiniorum filii ſunt futuri. Nec ſatis quidem fatear in amica gente Principes quærere, ni qui quæritur prudens ſit aut rectus, æquè enim ut hoſtis rempublicam evertit, qui ejus leges & libertatem deſtructum it, ac ille qui prudenter tueri ignorat quæ ad univerſorum ſalutem. Nec mihi quoque ſufficit dicere, Henricum Andium Ducem, Natione (vobis amica) Gallum eſſe, ni edoceam

ceam qualis ipſe ſit, & faciam ſane. Non improbo Conſilium veſtrum Poloni, qui in eligendis Principibus veſtris ætatis potiorem rationem habetis, ſcitis quàm periculoſum accidat reipublicæ, eum regem habere, qui & rectore ipſe eget, & cum conſulitur ob fluxam ætatem, nec humanis caſibus diutius probatam, proba ſeligere ignorat. Henricus autem annos tres & viginti natus, Sceptrorum capax eſt. Ni tam bona ætas regno ſufficit, illud ſufficiet, cum judicio prætergreſſus eſt ætatem. Non ego figmenta ducam ob oculos, non de hoc Principe bona loquar, ut cum illis calumniatoribus contendam, qui linguâ & calamo venali bonum Principem nuper inſectati ſunt, ſinam mordaces linguas & calamos libere loqui, & in laude Henrici reputabo, deſideratur ad majorem perfectionem virtutis adverſarium habere, ut æquè virtus ſit calumniatorum modeſtè tuliſſe, ac alia rectè feciſſe, loquar ergo ideo, ne quæ in alto conſpici digna, ea in obſcuro ignorantiæ lateant. Dux Andium in reipublicæ adminiſtratione à pueritia

educatus, consilio fratris angustiori semper interfuit. In quo de pace, de bello, de fœderibus, de peditatu, equitatu, stipendiis militum, de arcibus muniendis, & aliis Publicis negotiis agitur. In his prima juventa Henrici versata est, regni totius postea, (sic judicante Rege fratre) abhinc quinquennium curam suscepit, adhibitis tamen prudentioribus consiliariis, quos sibi dari voluit, ne aut superbus videretur, aut pervicax, qui consilium sibi dari nollet, aut insolens si per se omnia ageret, tum ille didicit momenta temporum reipublicæ notare, animos vulgi noscere, delictis pœnas statuere. Virtuti justa dare præmia. Verum à vobis velut à Martia gente expectari video, ut de prudentia rei militaris loquar, nam vestra res semper armis stetit, & potissimam regum virtutem ducitis scientiam bellandi. Scitote quæso eum vos habituros Principem (si forte habere vultis) qui adolescentiam totam in castris egit, qui ad famem, sitim, vigilias, algores, imbres, calores, ad injurias cæli tolerandas callum obduxit, Eum dico esse qui præstantissimorum Ducum (quos secum

secum habuit) conciliis & consuetudine ex usu, præterea & exercitatione didicit, castra metari, vallum ducere, urbes obsidere, capere & retinere, signa cum hoste conferre, repentinos impetus intrepidè retundere, vincere, & victoriâ uti. Quod optabam jam assecutus sum, Principem vobis indicavi, qui regias dotes complexus est. Linguæ tamen vestrę ignorantiam, velut certum impedimentum nonnulli objiciunt, Credite mihi Gallicam gentem ut moribus vestris coæqualem, sic linguæ perquam capacem. Utique scitis Gallum fuisse qui triennium apud vos versatus, sermonem Polonum Grammaticis legibus primus subdidit, sufficient huic bono Principi, non anni sed menses, quantum ad subditorum querelas intelligendas, & negotia publica tractanda opus habebit. Expedita alicujus linguæ notitia, Episcopis, Concionatoribus, oratoribus, causidicis maximùm necessaria est. Verum Principibus non adeo, capite hi non linguâ populos regunt. Sed est hoc tamen in Principe aliquid impedimenti. Utique reges vestri non soli, sed vestro consilio adjuti in Senatu de rebus

bus ſtatuunt, vos autem Latinè, Italicè, imo etiam Gallicè loqui conſueſtis, quibus linguis Dux Henricus tantiſper vobiſcum utetur, dum linguæ Polonę uſum aſſequatur. Ut jam de commodis loquar, illud primum & maximum occurrit, nihil veſtram rempublicam accepturam incommodi, Henrico rege. Hoc certè aliquid eſt? imo verò permagni momenti eſſe vos ipſi judicabitis. Fieri enim poſſet, ut aliquis Princeps prudens, aliàs & bonus, periclitari tamen veſtrum regnum ſinat, prę-ſertim is, cui cum Principibus potentiſſimis inimicitię, & de finibus antiquę controverſię intercedunt, talis certè ſi Rex veſter crearetur, vires veſtras ad ſua & quæ ſunt ſuorum tuenda converteret, ille certè, qui amici veſtri antea fuerant, hoſtes ut eſſent infenſiſſimi efficeret, ille vos qui in pace & otio ſub alio rege vivere potuiſſetis, in moleſtias & pericula conjiceret. Verum huic Principi de quo loquor, nullæ extant cum alio Principe inimicitiæ, nullę de provinciarum finibus, (veluti Imperator Romanorum reſpectu Hungariæ, cum Turca in quæſtione eſt,) controverſię, ut quidquid aut

aut hoc regnum habet potentiæ, aut ipſius Ducis ineſt virium, totum ſtare debeat pro commodis & incolumitate veſtra. Minimum præterea ſperare vos utilia velim, Poloni, ab eo Principe cui quia vicinus vobis & potens, quia ſuarum terrarum vires ad vos tuendos facilius è vicinia educere poſſet, purpuram ideo offeratis veſtram. Specioſa hæc ſunt magis quàm utilia, & ſperari poſſunt non obtineri. Scilicet eæ vires pro vobis, non contra vos futurę, ut defendant libertatem non ut opprimant? Cuique dominanti natale eſt velle abſolutum fieri, vos autem liberi ſub Principibus eſſe cupitis, & quia veſtriſmet viribus confici non poteſtis, commodiſſima foret Principi ad vos opprimendos, hæreditaria in proximo potentia, ſic qui liberos vos acciperet ſub regimen, ſervis imperaret victor. Magis certe perſuaſum eſto, prudentes, fortes, juſtos, Principes, quàm potentes quærere, utique tot ſæculis nullis fęderibus freti, aut vicinorum ſubſidiis adjuti, domeſticis viribus hoſtium potentiam infregiſtis, ex parva republica maximam effeciſtis. Dux

K qui-

quidem Andium & suâ potentiâ magnus est, & regis fratris amicitiâ potens, verùm quia hæc à vobis dissita, tot terræ, montes, tot fluvii interjacent, ideoque (si illud suspicamini) minimum sunt nocitura. Neque taliter tamen mea verba notate, ut minimum præsidii ab illis terris sperare possitis, (quas dico longius à vobis dissitas) imo verò maximum. Quantum creditis vobis commodi affuturum? cum omnes annui proventus in hoc regnum importabuntur, nec aliter vobis eventurum est, quam si novas aurifodinas benignior tellus vobis aperiret. Hinc Ille, privato sat dives ære, regni hujus proventus, quos regiæ mensæ vocatis, militi scribendo asservabit. De dignitatibus autem & præfecturis tum aliis præmiis, quæ prudens respublica benemeritis civibus paravit, quieto & securo animo vos esse oportet. Habet Henricus octo provincias hæreditario jure acquisitas, ubi Episcopatus sunt, IX, Abbatiæ circiter, CC, Prioratus circa mille. item præfecturę, magistratus quamplurimi, hæc ille præmia suę gentis hominibus abundè distribuet, vestra vobis asser-

servabit, cum & mos patrię & leges non aliter velint. Dictat enim lex vestra. *Ne ulli honores reipublicæ, & præmia ad extraneos deferantur, præterquam ad eos qui è Polonis orti Nobilibus.*

Classem præterea validam suis sumptibus instruet, quę viribus ad hæc vestrorum Cosacorum freta, Dominium sinus Baltici facile tuebitur. Item Cracoviensem Academiam proventu & doctoribus reficiet, ut pars juventutis vestrę, artium studiis; pars altera omnium armorum genere instruatur, quo in loco, (aut in Gallia si ita vobis videbitur) centum è vestra juventute nobiles, suis sumptibus erudiendos curabit. Insuper si ad bellum propulsandum peditatu opus habebitis, sclopetariorum quatuor millia è Vasconum gente, ad vos per naves transmittet, & suis sumptibus toto bello sustentabit. Quanti verò æstimabitur regni Gallię perpetuum & inviolabile vobiscum fędus, Gallici pręterea populi societatem, unde mercatores Gallicas merces quibus carere non potestis ad vos deferent, vestri item reciproco commercio, ea quibus maximè abundatis, summo utriusque gen-

gentis commodo in Galliam exportabunt. De privilegiis & immunitatibus veſtris ut loquar, non eſt meum, veſtra hæc ſunt non noſtra, quale regnum & rempublicam electo tradideritis, talem recturus, & habiturus eſt. Hęc quę à me dicta ſunt, longiori ſermone opus haberent, verùm ut brevius agam. Si Ducis Andium vobis grata fuerit perſona, aut per literas aut per delegatos veſtros cum eo accuratius agemus, interim ſi de fide noſtra (de quo aimus) dubitatur, nos legatorum perſonâ depoſitâ, in arce cuſtodiri non abnuimus. Itaque tu magne Senatus, voſque liberi Equites, quod fauſtum felixque ſit reipublicę veſtrę, Henricus Andium Borboniorum & Alvernorum Dux, à Rege Chriſtianiſſimo vobis offertur per nos legatos. Hunc ad rempublicam adminiſtrandam inſtitutum & paratum, tanquam vobis natum in filium aſſumite, non ille certè eſt uti alii, qui ſolo Oratorum aſpectu regnum obtinere ſperant, ſed uti omnia ſua vobis offert, ſic (ſi in regem eligatur) conſilia ſua omnia ad regendam hanc rempublicam adhibebit, ne vos facti unquam pœniteat.

Dum

Dum eum ſermonem legatus finivit eventum Electionis exſpectare juſſus. Ea verò amicitię teſtimonia nomine Gallię regis gratè accepta: Poſt hæc intromiſſi legati Principum Electorum Imperii Romani. Hi merum dolorem de obitu Sigiſmundi Regis & interitu magnæ domus Jagellonum loquebantur. Legationis erat ſumma; ut Archidux Auſtriæ Erneſtus in Regem eligeretur. Revolviſſe ſecum Principes (ajebant) quantum è re Imperii Romani, Polonæ & Germanicæ nationis foret, eum regno præfici, cui non minor ſtudium & voluntas ineſſet amicitię cum Imperio Romano conſervandæ, quàm Sigiſmundo Auguſto & Parenti ejus inerat. Eam eſſe Imperiorum felicitatem, vicinarum gentium fœderibus jungi, & amicitiâ firmari, earum præſertim, quæ ſi inimicę forent, multum è vicinia nocere, aut amicæ multum prodeſſe poſſent, longinquorum populorum non adeo ſecura eſſe auxilia, ut illis confidi poſſit, quia ſera ſunt, quia repentinis caſibus imparata; amicitiam à longinquo ſolam verborum eſſe, à latere rerum & parati teſtimonii capeſſerent occaſionem, novo

 quo-

quodam vinculo quod offerretur, tot populorum fidem & amicitiam sibi jungendi. Si Austriacum in Regem eligerent, non dubitari eo facto, Italorum, Hungarorum, Hispanorum, Germanorum, Bohemorum, Belgarum, & omnium populorum quibus Austriaca domus præest animos conciliandos iri, ad commerciorum verò societatem, tanquam ejusdem urbis civibus Polonis fore accessum; Ajebant præterea Archiducem Ernestum è Jagellonum sanguine oriundum esse per Matrem, ut æque ejus Parens sit, Polonia, ac cęterorum civium. Ne sperneret respublica consilium Electorum imperii, qui ea fide secum agerent, qua imperii Romani authoritatem tuerentur. Jam decimùm gubernacula imperii Romani Austriacę Familię suis votis oblata esse, cum illa domus humanitate, clementiâ, pietate ab immortali Deo Maxime ornata sit. Neque vero eâ ratione consilium à se porrigi, quod prudentiam Polonorum incomparabilem prę-senti negotio sufficere dubitarent, vel quod curiosi in aliena republica videri vellent, verùm ut partim propensam in Populum Polonum

num voluntatem testarentur, partim ne officio, quod Patrię, Christianę paci, & Concordię publicę deberent; deesse viderentur.

Fuere item Regis Suecię, & Magni Moschorum Ducis Oratores, tum Imperatoris Turcarum legatus, quorum studia longùm foret recensére. Nec tamen prætéribo, quod nusquam aliàs notatum in Turca Barbaro, qui depositâ innatâ feritate, legationem fidei & amicię plenam miserat. Solius Dei operâ factum credebatur, qui tunc sine rectore turbatam Rempublicam, velut, suam tueri voluit, flexis ad humanitatem hostibus; Nec Poloni quoque eo Interregno segniùs placabant iras Numinis. Plena erant templa supplicantibus, onustę arę sacrificiis, lugubria omnia, Virgines deposuêre sertum, Matronę atrum induêre colorem, Musici concentus obmutuêre, omnia dolorem, omnia non fictam loquebantur pietatem. Sic auditis legationibus Principum Exterorum; De stipendiis militum Podoliensium actum. Miserant illi legationem quærimoniarum plenam, de non soluto sibi stipendio, videbatur verò tutum in officio retinere

tinere militem, nec dari causam turbulento reipublicæ tempore, seditiones & turbas strui per milites, qui ne turbæ in republica forent, opportuni tunc erant. Quarta pars redituum regiæ mensæ in stipendium illis concessa. Tandem missæ sub trutinam antiquæ leges. Sed nil nisi placuit eas in ordinem Privilegii redigere, paucas vero addi aut saltim explicatiùs ponere. Recensebo nonnullarum legum capita, idque strictim; quo major legibus insit authoritas, quas sacrilegæ sit licentiæ omnibus explanare, præterquam iis, qui juri dicundo præsunt. Earum vero præcipuæ fuêre.

Reges Polonorum non debent, nominare, eligere, aut electionem indicere, vel quenquam alium modum tentare, instruendi aut designandi regis sive successoris vitæ suæ tempore, idque ab eam causam, ut post eorum decessum libera & illæsa electio Regis, Statibus & Ordinibus regni semper maneat.

Nam præsente Rege novum eligi non Electio est, sed Successio & hæreditas, mancipantur sic Eligentium liberæ voces, ut non qui optimus, sed qui proximus sanguine, Sceptris destinetur: Cum alii præsentia senis regnantis,

tis, alii officio, cæteri cupidine placendi, ad Principum destinata, non rempublicam trahuntur; jam vero post funera eligere, sola eligendi libertas est, non respectus.

Hæredis titulo Reges non utantur.

Rex externas legationes non audiat, aut ipse in externa mittat, ne item militem adversus hostes regni conscribat, absque assensu utriusque gentis consiliariorum.

Limitata Regum potestas circa Evocationem Generalem armorum, absque consensu omnium Ordinum.

Non privato arbitrio, sed ex præscripto legum & sententia Senatus, decreta Rex pronunciabit.

Sedecem-viratus Senatorius constituitur, regio lateri præ consilio adfuturus, consiliorumque rationem reipublicæ redditurus.

Quolibet biennio, Comitia generalia dici debent.

Extranei homines à quibusvis officiis regni, bonis, honoribus, hæreditatibus, amoventur, solis terrigenis Nobilibus hæc posse conferri.

Privato Sigillo reges non utantur, sed publicum per Cancellarium aut Vice-Cancellarium regni, apponi debet, penesque eos asservari.

Coronæ & thesauri Regni sub clavibus & sigillis Senatorum asserventur, neque fas esse, absente horum ali-

aliquo, aperiri thesaurum.

Non licere regibus sponsam capere sine consilio & assensu Senatus, &c.

Actum præterea de tutulis officialium, & ministrorum curię, nec eos minui, neque augeri placuit; Minuendos dissuasit, in regis reique publicæ promptum servitium, facile quosque pelliciens titulatus honos. Augendos prohibuit, æqualitatis amor, ne auctis in republica importunis titulorum nominibus, augeretur in civibus nominum respectus, & verę (sine titulo) nobilitatis, lentim extingueretur honos, ad perniciem æqualitatis. Comprehendebantur demum eo privilegia, alię quamplurimę leges, quas recitare hîc, non est mens nec concilium.

Tum rationes pro singulis competitoribus, scrupulosâ commodorum & incommodorum censurâ conquisitæ, noscere enim oportuit unde major alluceret publici boni utilitas. Pro Archiduce Ernesto Austriaco, commoda panebantur. Quod esset Romanorum Imperatoris filius; multum verò ad decus & imperiorum magnitudinem conferre, si reges haberent, qui è magnis nati. Linguam præterea Boë-

Boëmicam Polonis intelligibilem eum callere, placidiusque ab eo regi posse, qui vernacula, regendis pronunciaret decreta, quàm qui linguâ peregrinâ. Placebat item eo regnante vinum ex Hungaria nullo vectigali in Poloniam importari, & multa alia recensita.

Incommoda tamen oriebantur. Objiciebant plerique teneram ætatem, nec ideo capacem purpurę Polonę, opus Se habere rege, qui Senatui præesset, & comitia regeret non qui regeretur, aliter in Monarchia, ubi sors nascendi hæredes daret, senes, juvenes, minorennes æquè haberi Dominos, & facilius per tutores populos regi, qui nisi imperata capere didicissent; in Polonia secus, cujus incolæ, æque liberi, æquè regunt ac reguntur, ni ipsius Regis adesset suprema authoritas, & prudens ratio; raptaretur respublica inter potentiores. Male omnino regi viros, quorum infans rector esset. Obstabat illud item quod è populis Germanorum oriundus esset Ernestus, quæ gens natale odium fert in Polonos. Uti vicini plerumque populi sæpius causas hostilitatis inveniunt, mores varios sibi exprobrant & vi-

vitia, præſertim quibus contra ſe bellare contigit, inde acuuntur gentis in gentem odia; Ejuſdem gentis Germanæ vicinia, alterum reipublicę parabat incommodum. Verebantur Ordines, ne opes Polonę & quæque decora in Germaniam vicinitatis commoditate tranſportarentur, prouti Hungaris & Boëmis factum, qui populi Auſtriacæ familiæ mancipati, magnis ingeniis, ære, viris exhauſti, hæreditas unius domus facti, nec jam velut ſuis regibus, & pro ſua libertate, ſed Auſtriacæ ambitioni contribuunt. Magna ingenia ſuffocarunt, ſublata iis præmia, qui pro domeſticâ libertate ſtrenui, verùm aut Germanis peregrinis conceſſa, aut incolis, prout ſunt Auſtriacorum ſtudiis amici, ea verò & ſtrenuos quoſque viros, ſuſtulere continua pro Auſtriacorum imperio bella: timebant hæc Poloni, qui Principis populi nomen ferre, ſuis viribus ac ære, pro ſuę reipublicę decore ſtare didiciſſent, & rectore opus haberent, non domino. Verebatur ſemper Populus Polonus privatam Regum potentiam (uti ea in Auſtriacis apparebat) quæ & liberam electionem, & cùm ea omnem

omnem libertatem peſſumdaret, malebant quærere Principem, qui ſine ipſis potens eſſe non poſſet. Nec præterea imperium maris Baltici eâ electione haberi poterat, cum Imperatori nullę claſſes aut portus, ullæ maritimę adeſſent vires. Quantum verò de Pruſſia & Livonia: Non ſe opus habere Imperatore Romanorum Patrono. In eo quod jus ſuum teneret, arma tuerentur. In utraque provincia nihil eſſe Germanis præter linguam & habitum; reliqua Polonorum. Sic commodis ab Auſtria, minimùm augeri reſpublica videbatur. incommodis maximùm diminui. Ad alios item competitores ventum. Erant verò qui magnum Moſchorum Ducem eligendum ſuaſerant. Nec ſpetioſi prætextus defuêre. Licet Moſchorum gens inculta & vitio barbaricę vicinię, redoleret Barbariem, non tamen ſperni poſſe gentis Duces, etiam media in Barbarie eos potiores haberi, qui honore priores, eo magis apud Moſchovitas qui Chriſtiani ſunt & multa commercia cum Occidentalibus Europę populis agunt. Occurrebat in mentem primus Jagello è Ducibus Lithvanis

 tunc

tunc Ethnicis & barbaris, in Regem Poloniæ electus. Nec erraſſe prorſus eligendo majores ſuos, nam Chriſtianus cum ſuis populis factus, bonum & pium Principem egit: Lithvaniam Poloniȩ adjunxit, tum eam familiam produxit, quæ longa Electionis ſerie Polonis imperitavit. Manifeſtum inde dari exemplum, Principes æquè civiles, bonos, juſtos, ac incultos haberi, quàm ii ſunt ad quos regendos accedunt: In republica præſertim, ubi reges non per ſe, aut ſuos advenas, ſed per conſiliarios publicos rem agunt. Si item Moſchorum Dux, in Polonorum conſideret Senatu, in eo conſilio, unde non fit ut non prudentior quiſque abeat, quàm acceſſit; falſo in cultum poſſe ſperari. Tum nonnulla minutiora de eo recenſita, Familiaritas linguȩ Moſchorum cum Polonâ, pax abhinc cum Moſchis perpetua, nec amplius dubia, adhȩc adjectio Magni Ducatus & magna acceſſio reipublicæ. Moſchorum præterea Ducem, ullas privatas alere factiones, ſua potentiâ apertum eſſe, nec poſſe eſſe non ſuum qui alienus nuſquam eſſet. His è contrario oppoſita, Haud tutum ei Principi liberam rem-

rempublicam regendam dare, qui ſuæ terræ præeſt, ut hæres ut Dominus in Moſchorum gente, ut cætera inhumanitatis vitia diſſimulentur, velut in eo populo qui abſque cultura ſtudiorum vivit, crudelitas certe reprobanda. Incolæ Dominum inibi non rectorem agnoſcunt, & Tyrannum non Imperatorem. Ad contemptum prȩtereagentium fieri videbatur, Moſchum imperaturum Polonis, & ingenuum Populum ſubjici inculto. Parva prorſus ab eo capite authoritas apud adverſarios, Turcam verò præſertim, parabatur, qui Moſchorum genti exprobrat ſæpè ignaviam, & cum aliàs Polonam potentiam vereretur, ſuperbus hoſtis evaſiſſet ſpreto Principe. Jam verò quanta eſſet cum ſuis populis & Ducatibus, à mari Baltico ad Sarmaticos montes, Neſtrem fluvium, Pontum Euxinum & initia Boriſthenis inter reſpublica Polonorum: ſufficere illi Magnitudinem ſuam, ut jam Moſchorum (veluti cæterorum Sarmatici nominis finitimorum) in rem habeat fœdera & amicitias, (imò etiam eorum integritatem pro Slavicȩ gentis potentia & decore) optare, aucupia verò terrarum niſi in periculum.

lum. Reliquam pro Moſchorum Duce rationem, ſola rei indignatio oppreſſit.

Poſt hæc Suecorum Rex, ſub trutinam abiit. Is annis maturus & adverſis caſibus diutius jactatus, bonus regno videbatur, neſcio enim qua ratione meliùs regno præſunt, qui aut ſępius erravêre aut multa paſſi contraria. Proxima item Suecorum cum Polonis commercia, & maris Baltici ſecuritas pro commodis ponebantur. Sed pleraque incommoda occurrebant. Ac primum quod uxoratus eſſet. Poloni verò Annam Principem ſororem demortui Regis, futuro Principi elocandam ſtatuerant, partim ut quam digniſſimè, reliquię domus Jagellonicę haberentur, partim ne multę impenſę publicum ærarium gravarent, in alenda utraque Principe. Periculum pręterea videbatur, ne dum in Poloniam electus ad capeſſendum regnum proficiſcitur, per abſentiam Sueci incolę Ericum, (uti ambiebant) regno ſufficerent, unde motus & bella, pro Regis privatis injuriis Polonos manebant. Nec Suecorum commercia tanti momenti eſſe videbantur, quibus Poloni opus haberent, item

item genius nationis diſplicuit. Quæ omnia Suecum fore Polonorum Regem, minimè ominabantur, præſertim cum plerique è Polonię incolis Regem creandum cenſerent.

Eoque fortiores crevêre partes, quo magis ſpecioſa & cum guſtu loquerentur, quem crederent Ordines? (ajebant) melius imperaturum Polonis quam Polonum, aut cur minus à ſuo expectarent, quam à peregrino & advena Principe? qui nec alienæ terræ teneretur amore, nec cum fide præeſſet. Honores vero regni & præmia plura ne ad Polonos, quam ad peregrinos, à peregrino Rege deferri ſperarent? Minime? hos futuros populi ſanguiſugas, hos opum reipublicę poſſeſſores, Apud indigenam Regem, & lingua & mores, fides, amor patriotarum, & omnia vernacula, gnarus rerum Polonię in qua natus, tanquam domi regnaturus, quia in externo nulla illi domus, nulla hæreditas: Pauca in eo negotio dicta, ſed quia cum æquitate convenirent, movere plurimos; & etjam placerent; verum qui minimas converſiones ſtatus prudentiùs notarunt, aut genium nationis noverant, ſtetere contrarii. Quo verò res

plus authoritatis haberet, ſententia pro ea parte dicta in Senatu. Bene ſperare rempublicam hanc jubeo concives mei, bona dantur diuturnitatis ejus omina, cum ego video in hoc eligendi regis negotio, quo majus unquam nobis dari poteſt, eâ fide & reipublicę amore vos omnes agere, ut in ea diverſitate ſententiarum (quas notavi) quam quiſque protulit optimam dixiſſe videretur. Non illos tantùm ego fideles appello conſiliarios & bonos, quorum ſententię probantur & eveniunt, ſed eos item quorum ſententiæ improbantur, fides tamen minimè & ſedulitas; cum ea proferunt quæ meliora credidere, veluti vos eſtis; video non pertinaciâ veſtras ſententias armari, ſed ratione; video non ullis privatis commodis, ſed reipublicæ utilitati ſtudere, alterum è prudenti ſermone veſtro didici, alterum lego in fronte, in oculis, imo in animo mihi diutiùs cognito. Ab eo conſilio minime dubito rempublicam benè valere poſſe: verùm credite mihi, cum omnia bona adſint conſultori, illud deeſſe ſæpiùs, ut rationibus, quibus ad conſulendum ducitur, non deceptum ſe fateri probè audeat, mul-

multa in utramque partem dici poſſunt, multa utrinque reprobari, ideo ut res aptè fiat, multis opus eſſe conſultoribus probatum eſt. eoſque ſæpius erraſſe, qui inconſultè è ſua ſententia agunt omnia, quàm eos, qui cujuſcunque conſilia petiêre, meliora decerpunt; Nemo verò tam imprudens eſt, qui non aliquid prudentię verbo inſinuare poſſit, Decipimini vos quoque, qui optimum factu creditis, è Poloniæ incolis regem eligi, ni cæterorum de eo ſententias acceptatis, Credo ego non alia de cauſa majores noſtros, hunc Senatum adeo frequentem voluiſſe fieri, quam ut plures oculi plura viderent, & ſententia poſterior crebra correctura eſſet prioris, ne paucorum judiciis diciperetur reſpublica. Ego qui jam in Senatum lectus, hoc in loco, & antea Patricius in Equitum collegio aliquandiu rempublicam tractavi, compertum habeo eouſque libertatem noſtram duraturam, quoad Rex incola nobis non imperitabit. Vobis credo non mira loquor dum hæc ajo, qui noſtras leges, qui hanc totam rempublicam, imò qui veram probè noſtis libertatem. Ac primum de æqua-

 litate

litate loquar, habeo relatum à meo Parente; imò ſunt credo in hac curia, quorum in præſentia, cauſam dicere Radziwilius cogebatur, ob impetratum titulum Ducalem ab Imperatore Romanorum, quaſi ille morem reipublicæ anteverteret, unde omnis titulata nobilitas exularet. Factum item paulo antiquiori memoria, cum Sigiſmundus ſenior, ad viſendum fratrem Vladiſlaum Regem Hungariæ profectus, atque inde utrique reges, (minùs tum dominante inter Principes ſuſpicionum metu) à Maximiliano Imperatore invitati, Viennam Auſtriæ ſe contuliſſent; inibi certatum reciproca humanitate inter tantos populorum dominos, arbitrantibus ſingulis, tantum Majeſtati ſuæ demptum iri, quantum humanitate vinceretur: Tum Imperator crediderat, digniſſima benevolentiæ teſtimonia obtuliſſe Polonis Senatoribus, qui cum rege tum aderant, ſi primoribus Ducales, cæteris Comitum donaſſet titulos; verum cum velut de nova re occultis ſecum diſceptarent Poloni, concluſum tandem, ſuorum regum Majeſtati demptum iri, aut quoddam jus alieno Principi in

Polonos concedi, à quo novos honores poſſe ſibi conferri, acceptando teſtarentur; imo liberæ nobilitati injuria fieri debebat, quę ullo titulo dignè nominari poſſet. Si vero ad opinionem exterarum gentium (apud quas nobilitas certis titulorum gradibus æſtimatur) aliquid facto opus eſſet, abunde ſufficere ſibi titulos, cum eſſent tantæ reipublicæ Senatores, de pacis & belli negotiis cum regibus ſuis pari ſententia diſceptarent, quæ nec ſingulis Ducibus in externo convenirent, niſi quos gratiâ Principum in diſcreto admoveret cubiculo. Romæ olim, unde Orbi imperatum, Patricium naſci in ſummo erat, uti plebejum in minimo, ac civem appellari, (quod nunc ſine invidia nemini dicas) regum titulis par erat, non enim receperat ille populus multi orbis Dominus alios naſcendi titulos. Cur item Polonis non decori ſit? aut Patricios aut nobiles appellari, cum nec Duces nec Comites vocitentur, magno attamen orbi imperant, reges creant, & cum his diverſis gentibus porrigunt jura. Hæc & alia in ſecreto rotulo loquebantur Poloni. Sed tamen ad ſpeciem hu-

manitatis respondere Imperatori oportuit, ne superbè contempsisse viderentur, quæ bono animo essent oblata. Tum responsum. Polonos gratias habere Cæsareæ Majestati pro eo animo, quod sibi offerret, quæ dignissima dari posse secum pensaret. Cæterum nobilitate Patriæ contentos se velle vivere, abunde sibi ornamentorum & honorum regem suum atque rempublicam conferre, nolle se quidquam novi & alieni legibus Patriç, & æqualitati communi inducere: Scio inquam quia his omnibus grates habitç à republica, cujus dignitatem & leges sic tuerentur. Sed cur ego hæc tam longum recito? ut vos doceam quantopere respublica fugerit, unde sperabatur inæqualitas; Hi namque speciosi tituli, quandam sui authoritatem imponunt novorum cupido populo, externa admiranti & ignota, ideo paritatem (quç vera libertas est) hæc suffocare credita, nec in rempublicam admissa. Jam verò sumite reges incolas, tum uno veluti ictu tollitis non superbam æqualitatem, pro ea fastum, ambitionem, paucorum potentiam, vana nobilitatis nomina inducitis. Hic regis frater,

frater, alter avunculus, ille nepos, speciosa hæc sunt credite mihi nomina & tituli, ut ni ipsi, regii sanguinis fiducia ultra cæterorum ascendant paritatem, sublevabantur à cæteris spontaneâ voluntate, sese submittentibus singulis, ut regiç domus captetur favor; Creditisne prçterea in aliquo consensu deliberantium de republica, liberas pro libertate voces posse audiri? aut de rege per quem jura violari contingat, sine periculo offensç (cognatis regis ubique præsentibus) disceptari, taceo ego, vos, quid dicturus eram, facilè conjecturamini; Juvat ergò cùm ex advena domo reges creantur, & ducuntur regum sociç, ne ulli civium ad cognationem domus regiç accedant. Utique vestrâ memoriâ factum cum Sigismundus Augustus cum incola fœmina, insciâ republicâ privatas nuptias egerat, quos motus tunc in republica vidistis? quas accepistis hisce auribus voces? cum alii præjudicium populi inclamabant, reliqui petebant divortium. Quasi verò nobis obstitit quod insciâ republicâ factum foret (licet illud maximum est) verùm verebamur; ne rex, qui fœminam incolam duxis-

duxiſſet, eo nexu paratis intra rempublicam, è potentioribus quibuſvis, partium fulcris, Electionem liberam, & cùm ea omnem libertatem ſub unius traheret domus cultum. Sed non pertinax ſum, non contra eo veſtrę ſententiæ, approbo, eligendus eſt incola Rex ajo, verum ſciam prius oportet inaugurandi modum? iimet electores futuri, qui & eligendi? quod magis in ea electorum multitudine? ardua hæc ſunt, neque capere poſſum, Inaugurationes Imperatorum Romanorum, aut trahi aut multo apparatu iniri videmus. Cum Septemviratus eligat & momento in ea paucitate decernere poſſit, vultis ſcire cauſam? difficile eſt ut is purpuram in alium transferat, cui poteſtas eſt, aut alteri dare, aut habere ſibi. En item, quia video nonnullos è nobis falſam ſpem regnandi concepiſſe, quanta ſtudia in hoc conſeſſu rotamus? quam præpediri Electionem ſuſpicamur? quod ſi plures accenderet regnandi cupido & ambitus, poſita intra incolas purpura? Verùm concives mei, ſi amamus rempublicam, ponamus hæc ſtudia, ſequamur antiquum morem, donemus occultas ſpes utilitati

tati reipublicæ, ſimus ſine affectu Electores, ut otiùs principem habeamus, quem diu quæritamus, erimus verò ſi alienigenam eligendo, velut in aliena cauſa, ratione laborabimus, non affectu. Sed quę illa quæſo veſtra ratio eſt, cum audio vos vereri, ne honores & præmia reipublicæ ad Extraneos per alienigenam regem deferantur. Jam ne in vobis privati commodi ſtudia notari video? abſit quæſo ab hoc conſenſu ea ignominia, aut licet iniquis fatis reipublicæ, eo res devoluta eſt; utique per Deum immortalem antiquatam legem habemus. Indigenis tantum Nobilibus, honores & præmia reipublicę poſſe conferri. Ut jam finem ſermonis faciam. Ego pro mea ſententia quemque prius eligi patiar, quam indigenam. Auſtriacum verò nullatenus admitto ad hanc purpuram, velut multas de eo rationes ante me audiſtis, ad cęteros competitorum quocumque vota veſtra inclinabunt, non pertinax ſequar. Non potentem tamen Principem velim aut privatim opulentum, à potenti libertati periculum; ab opulento contemptus ſperatur. Utque domeſticis & opibus & viribus, huc-

cuſque ſtetimus, peregrina omnia nobis nocitura præter virum: Suaderem item è populis nobis habitu ſimilibus ſumendum Regem, ut ſunt Hungari & Moſchovitæ, & ſi qui alii cultarum gentium tales, neſcio enim quare peregrinis tecti veſtimentis peregrinos intra poſſunt tegere amores & conſilia, noſtra illis odio ſunt, quia ab illis diverſa. Sed ne morer, ut bonum Principem inveniamus, Deum prȩcor, & ſimul ut huic conſeſſui maximo, optimam det mentem.

De Henrico Duce Andium diſceptari cæptum & rationes ponebantur; Ortum eſſe è Gallica gente, genio, moribus, non multum à Polono, cultu diſſimili, magnæ Valeſiorum domus prolem, decora ætate, ad imperii negotia valida, inſtructum; præterea pacis & belli vel maximè artibus. Talem Principem debere habere Rempublicam, cujus prima ætas in continua bellorum lucta eſſet, modeſtum futurum in adminiſtranda republica pollicebantur. Galliæ terrarum & Poloniæ longa ſeparatio, ac minor occaſio cum ſuis populis coëundi in damnum reipublicæ, quin

quin longinquitate res proderetur. Sed debitorum reipublicæ ſolutio, tum claſſis ad obtinendum maris Baltici dominium, valde pellexere animos Polonorum & vota. Item quatuor millia ſclopetariorum Vaſconum, non leves ſuppetiæ armorum Polonorum, pro Livonia & contra Moſchoviam, non in minima parte commodorum ponebantur. Ad hæc proventus reipublicæ augendos plerique credebant. Ob perpetua ab hinc cum Gallis commerciorum fœdera, ac privatos Henrici cenſus è Patrimonio Galliæ: Pax cum Turca tutior ſperabatur ob fœdera, quæ domui Valeſiorum cum his gentibus antiquitùs intercedebant. Hæc & ſimilia pro ejus parte ponebantur; Nec contrariȩ partis omiſſæ rationes, uti fuere, Bellum cum Magno Moſchorum Duce, ſermonis Polonici ignorantia, odia regni æmulorum in rempublicam, & alia.

Sic pro ſingulis ratione non blandiente, pro ingenio utrinque certatum. Petita ſuffragia Equeſtris ordinis & Senatus, eligerent quem optimum ſperarent. Tum allata in commune

ne è Palatinatuum tentoriis (ubi Nobilitas consederat) suffragia, literis obsignata ; reclusæ item Senatorum sententiæ, unde compertum maximam partem Senatus, ac Ordinis Equestris, stare pro Henrico Duce Andium. Reliqui & varii varios nominavere. Verum quia in hoc populo inusitato gentibus more (præterquam de Comitiis Arragonum alicubi lectum memini, quorum consultis olim, uno contraveniente omnes dissentire credebantur) aut plane incredibili, Regem nemine contradicente eligi oportet. Idque veræ libertatis Poloni ducant non Senatoris aut divitis, non multorum aut potentium, sed singulorum in republica rationem haberi, cujusque sententiam in censum inferri, qui nobilis in republica natus ; Tunc quoque paucis discrepantibus, invigilavere ingenio dexterrimi, ut partim suasu, partim precibus, tum omni meliori modo, universos ad sententię unitatem pellicerent. Demum hinc & illinc suadentibus aut dissuadentibus, cessere tandem pauci plurimis, ne soli sapere viderentur. Tum HENRICUS ANDIUM Dux, unamini

mini consensu in Regem Polonorum nominatus. Ea Electio maxima dexteritate uti aliorum civium, sic præsertim JOANNIS ZAMOISCII prudentia gesta est, cum enim ille pronus esset in Henricum animo & voto, ac obstarent civium studia, sperantibus plerisque ad se deferendam purpuram (nam de incola rege eligendo passim sermo invaluerat) pulcro invento *Piastum*, (quo sub titulo incolam Regem venditabant,) ab ambitu regni summovit. Petiit enim, Quoniam Externorum Principum & petitorum Oratoribus absentibus, ad dicendas de rege sententias decurreretur, sic æquum esse (ajebat) abessent cives, qui peterent regnum, ne gratia major aut offensa in præsentia pararetur. libertate sentientium. Cum vero petitorem se purpuræ, palam fateri nemo ob verecundiam, aut invidiæ metum auderet, omnis de incolà rege deliberatio suà sponte conquievit.

Henricus in Regem nominatus, ac decretum Electionis, compositum, lectum subscriptum à Senatu, tum à deputatis Palatinatuum cum longũ fuit tot millium nomina adnotare,

 con-

contenta decreti erant. *Legitime electum Henricum Andium Ducem, in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithvaniæ, ordine electionis consueto, nemine nobilium præsentium contradicente, aut ullius absentia in eo jam obstante. nec posse sententiam ab eo retrahi, nisi (quod absit) super ea quæ in pactis conventis porrigerentur, juramentum coram republica deponere nollet Henricus.* Ivêre Plockum aulici ad Legatos Henrici Varsaviam evocandos, intromissi in collegium, Tum Archiepiscopus Gnesnensis Primas & Princeps Senatus, Letos allocutus. *Quandoquidem placuit Deo Henricum Andium Borboniorum & Alvernorum Ducem, Polonorum Regem fieri, & nostra vota in eum dirigere: Itaque REGEM EUM DENUNTIAMUS. Vos quoque Oratores ab eo cum absoluta & sufficienti potestate missi, ac primario à Carolo IX Rege Galliæ ejus fratre, has conditiones utrorumque nomine acceptabitis, & juramentum in fidem deponetis.* Lecti articuli pactorum conventorum: quorum summa.

Fœdus perpetuum inter Galliæ & Poloniæ regna, atque eorum provincias omnes, hominesque in eis degentes, constare debet.

Si

Si quispiam hostium hoc regnum Poloniæ magnâ aliquâ vi adoriri vellet, Rex Christianissimus peditatu, aut (si ita Statibus videbitur) pecuniis rempublicam juvabit. quemadmodum etiam vicissim Galli, si Polonico equitatu egeant, à Polonis adjuvabuntur.

In usum belli contra Moschorum Principem, quatuor millia Vasconum peditum, quibus stipendia in sex menses, Christianissimus Rex persolvere debebit, (cum Statibus videbitur) in Poloniam transmittet. Quamprimum Rex electus in regnum venerit, classim suo sumptu instruet, ad tuendum dominium maris Baltici, tum ad impediendam Narvicam navigationem seu etiam illum portum regno acquirendum ea classi utetur.

Emporium nobile in portu aliquo Gallico mercatoribus & mercimoniis Polonicis aptam Serenissimus Rex instituere curabit, similiter & commerciorum mutuum usum ordinabit.

Singulis annis quoad vivet Electus Rex Poloniæ, ex reditibus suarum provinciarum CDL. millia florenorum in regnum hoc importabit.

Debita per Sigismundum Augustum piæ memoriæ facta, aut etiam à morte illius, usque ad adventum ipsius Serenissimi electi Regis, reipublicæ causa contracta Rex persoluturus est suo ære.

Aca-

Academiam Cracoviensem restaurabit & proventu ditabit.

Centum juvenes nobiles vel in eadem Cracoviensi Academia, vel Parisiis (prout respublica judicaverit) in re literaria suo sumptu erudiendos curabit.

Nullos privatos homines secum in Poloniam ad inhabitandum adducet, præter paucos quorum opera in ministerio domestico uti possit.

Hæc & alia omnia quæ Legati in sua Oratione nomine Serenissimorum Principum suorum, reipublicæ obtulerant, ad effectum deducentur. Item omnia jura, privilegia, libertates, prærogativas, unicuique statui & homini, incolis Regni Magnique Ducatus Lithvaniæ, & omnium provinciarum illi adjunctarum, sive generaliter omnibus, sive specialiter singulis, per Serenissimos Reges & alios Principes antecessores concessas, vel quovis alio nomine quæsitas, ac diuturno usu approbatas, sive etiam nunc circa Electionem Regis, ex unanimi & concordi omnium Ordinum assensu sancitas, integrè & inviolabiliter servabit, juramento corporali juxta sibi traditam formam, ante inaugurationem, sive coronationem sui, confirmabit & literis necessariis muniet.

Assensum dedere Oratores tum nomine suorum Principum ad juramentum accedere jussi.

jussi. Posthæc dicti legati in Galliam ad Electum Regem mittendi. ADAMUS, DE KOBILNO KONARSCIUS EPISCOPUS POSNANIENSIS. ALBERTUS DE LASKO PALATINUS SIRADIENSIS. JOANNES DE TENCRIN TENCRINIUS VOINICENSIS. JOANNES DE TOMICE GNESNENSIS. JOANNES DE FOLSTYN HERBORT SANOCENSIS. ANDREAS GORKA MEDZYRICENSIS. STANISLAUS KRYSKIUS RACIAZENCIS CASTELLANI. Hique è Senatu Regni. A Senatu vero Magni Ducatus Lithvaniæ. NICOLAUS CHRISTOPHORUS DE OLYKA RADZIWILIUS MARSCHALCUS CURIÆ LITHVANIÆ. Item ex Equestri Ordine Polonico. NICOLAUS DE DAMBROWICA FIRLEI CASIMIRIENSIS. JOANNES ZAMOISCIUS BELZENSIS. JOANNES ZBOROVIUS ODOLANOVIENSIS, CAPITANEI. & NICOLAUS TOMICE. Ex Equestri item Ordine Magni Ducatus Lithvaniæ ALEXANDER PRONSCIUS. Puncta Legationis erant.

Ut per Legatos promissa & Rex Galliarum & noster Electus, jurejurando confirmēt, in loco publico. Ex Senatus

consulto Regni illius; Ut Rex Electus omni celeritate adhibitâ quamprimum in regno suo præsentare se possit.

Data præcipue Oratoribus potestas tractationis, de concludendo matrimonio Serenissimæ Annæ Principis cum Serenitate illius.

De solvenda & laxanda obedientia subditorum, erga Serenissimum Electum ne scrupulus intereat, declarandũ: Quod non statim solvi & laxari obedientia erga regem debeat, si quid per errorem humanum regi exciderit, aut obrepserit, sed tum demum; si volente & sciente Serenitate illius, jura libertatesque nostræ, aut per potentiam opprimerentur, aut per contemptum & temeritatem in dubium vocarentur, ut ne admonitione Senatus, aut reliquorum regni Ordinum, quidquam profectum esse videretur.

Nisi omnia quæ sunt omnium consensu Ordinum pacta & conclusa per Serenitatem ejus juramento confirmata expleantur. Verendum ne vicissim omnia, quæ in favorem Serenitatis illius decreta, in irritum recidant, & infecta reddantur.

Admoniti postea Legati. Ne (consueto gentis more immensum clientellarum, & famulitii numerum alentis) superfluo comitatu uterentur, imò profusiores sumptus vetarent. Numerus famulitii dictus Episcopo & Palatino

no XIII personæ Castellanorum singulis VIII, aliis item ex Equestri ordine viritim, IV, ultra tamen famulitium culinę & stabuli. Datum prętera negotium Episcopo & Palatino, ut per tabellarios secretiora Legationis ad Ordines deferrent, dubiorum consilium per literas caperent ab Ordinibus, aut ab Archiepiscopo Gnesnensi Primate: Cui interstitio Comitiorum data potestas summi consilii à republica, datis in Societatem muneris è minori majorive Ponia, item è parte Magni Ducatus Lithvaniæ Senatoribus & Equitibus. Corpus defuncti Regis Cracoviam transportari jussum, cui funesti pompę ducendæ nominati plerique è Senatu, partim Episcopi, partim seculares, qui cum omni dignitate adessent. Nullum interea periculum in publicum à pacatis undequaque hostibus, nec ideo tutior pax curari intermissa. Ad tuendos fines Podolię versus Turcam designatus JASLOWIECIUS, minor Exercituum Dux, datis in præcidium aliquot millibus partim hastatorum, partim ferentariorum equitum & pro necessitate peditum. Limites item in orbem eundo, ab Hungaria, Silesia, inferiori

ſeriori Germania, Moſchovia, earum terrarum Senatoribus ſub cuſtodiam traditi, ſcriptis pro magnitudine periculi, tam equite quàm pedite. Cracovia item caput regni periculis obnoxia duorum Senatorum cura præcuſtodita. Oratores interea in Galliam ivêre compendio itineris, per eam partem Germaniȩ, qua Saxonia & Palatinatus Rheni porriguntur. Cum Lipſiam ventum, ab Auguſto Saxoniæ Duce detenti, per humanitatem excuſante ſe illo Principe; Non ſibi integrum eſſe liberum tranſitum Oratoribus Polonis concedi, antequam de voluntate Cȩſareæ Majeſtatis aliorumque Principum Imperii ſibi conſtaret. Verum prona in Henricum, adverſa in Imperatorem & ambitum filii Erneſti, electio populi Poloni ſtetit potius in offenſam & obicem itineris; quæ omnia ideo erant in ultionis ſpeciem accommodata, ſed vere contra jura vicinitatis, ne dicam contra jura gentium, Legatos amicæ gentis morari. Legati authoritatem reipublicæ læſam graviter ferentes, aut quatenus à fœderata gente, præpeditio fieret dubii, miſêre ad Electorem JOANNEM DE FOLSTYN HER-

HERBORT, Caſtellanum Sanocenſem; qui ea oratione coram uſus eſt.

Si apud te Principem ſapientem & judicem æquum, cauſa ipſa pro nobis non loqueretur, multo ſermone & verborum conquiſitis coloribus (uti ſolent ii quibus juſti verique ratio non conſtat) utendum mihi exiſtimarem; verùm cum honeſtiſſimum ac nobis ſalutare totique adeo Chriſtianitati perutile obeamus munus, certo nobis perſuademus, te non impediturum, ſed optaturum etiam, ut iter noſtrum quàm celerrimè conficiamus. Non privati nos amor ſtudii, aut luſtrandarum regionum huc duxit cupiditas, verum ad ſumendum Regem à Republica electum, in Gallias proficiſcimur. At à quo regno? ab eo ſcilicet, quod undique hoſtibus Chriſtiani nominis cinctum vallatumque in difficili ac periculoſa ſtatione, pro reliquis Chriſtianis regnis, imo pro hac tua terra excubat. Amicitia regni Poloniȩ cum Imperio Romano & ejus Principibus non verbalibus aut ſcriptis tantum, ſed vivis affinitatum fœderibus concepta, ſtabilita, ſervata fuit; hæc reciproca inter

 nos

nos auxilia, humanitatem, amicitias, omnia diutina pollicebantur. Pacta item conventa religiosè confirmata, inter Imperatores & regnum noſtrum ea intercedunt, quæ cavent, ut hominibus ultro citroque commeantibus, liber pateat tranſitus; taceo Legatis, quorum nomen apud Barbaras etiam gentes ſanctè colitur: quare nunc aliena experimur, prorſus ignoramus. Amici tuam terram ingredimur, quod ſcelus? Velut per vicini atria tranſimus, quod periculum? Regem quærimus, quæ hoſtilitas? Nos quidem Magnos Orbis Monarchas, Principes, majorum ſplendore, rerum geſtarum gloria, virium potentia, opum magnitudine, vicinitatis commoditate, ſanguinis conjunctione ſubnixos, regnum noſtrum appetiiſſe, fateamur neceſſe eſt: Verum ad horum aliquem ut ſceptra noſtra deferrentur, non fuit arbitrii aut voluntatis noſtræ; ſuprema è cœlo manus Principes purpurâ induit: ſæpe Orbis conſpexit regem, quem minimò ſperavit, aut cui coronam dari credidit, alieni capitis facta decus. Id verum eſſe re ipsâ comperimur: Comitia eligendi regis à Senatu, more

more inſtitutoque veteri, Ordinibus indicta; adfuere competitorum Legati; in ſuffragia res miſſa; alii ad ſuæ gentis hominem (quem declinata invidioſa proprii nominis deſignatione *Piaſtum* vocarunt) regnum deferebant; cæteri externum cooptandum credebant. Poſt eam diſparitatem ſententiarum, quis credat univerſorum animi velut divino inſtinctu (cujus opem hoc in negotio ſæpius imploravimus) in unum coaluere, unum omnes & ſinguli nominavere Henricum. Neque verò hoc in Principe cooptando, vel inferiora aliis Principibus regnum ambientibus ſecutos eſſe nos exiſtimamus, perſpectam habemus Gallicæ gentis antiquitatem, ſplendorem, rerum geſtarum gloriam, quæ cum Romanis rerum Dominis certavit de imperio, eorumque arma graviter exercuit. Romaque domicilio imperii capto, ſæpius armis ſuis Romana cedere coëgit: Recentiora non repeto, quæ in multorum oculis auribuſque verſantur. Quid ultra opus? Regem elegimus, quem è Republica eligendum credidimus. Quia verò ad eum ducendum in Poloniam miſſi ſumus Ora-

Oratores, per amicitiam poſtulamus, per fœdera obteſtamur, ne iter noſtrum cœptum, tu amicus nobis Princeps moreris, non magis noſtro quam Chriſtiani Orbis damno. Noſti quàm ditiones noſtræ immanibus Chriſtiani nominis hoſtibus undique ſeptæ ſunt; Scitis inquam, Turcis, & nunquam fidis nobis, imo verò hæreditariis hoſtibus Moſcovitis; quæ ſi in regiones noſtras, Principe vacuas, Barbarorum colluvies, jamjam imminens, ingruerit, procul dubio magnum damnum non nobis tantum, ſed toti Chriſtianę reipublicę dabit. Ditiones noſtrę finitimorum regnorum, (quæ & Germaniæ vicina ſunt) pro intermedio pariete atque propugnaculo habendæ ſunt, qui murus aut paries Chriſtianitatis ruere non poterit, niſi eodem motu reliqua regna labefactata concidant; Rem perpende & an moreris noſtra, cogita. Quod ſi verò non obtinemus, verendum profectò, ne nobis, (quod Polono nomine dignum) ſine ſtudio & ſanguine interire nolentibus, totus Orbis non neceſſario quidem (quod nos averſamur) ſed tamen nobis non contumelioſo, bello implicetur; ad

quæ,

quæ, ne inviti trahamur, prudentiæ tuæ, Princeps, eſt providere, cujus quidem excitandi facilis eſt ratio, reſtinguendi verò nonniſi ejus partis, quæ victor ſit. Deum verò juſtiori cauſæ opem ferre, re ipſa compertum eſt.

Motus præſentia, & gravi ſermone Legati Dux Saxonię, ac veritus ne res faceſſeret difficultatem, Polonę gentis parando ſibi offenſam, præſertim cum Legatus ſeriò ageret: Varias ad ſpeciem facti cauſas attulit, ne indecora Principi temeritate rem feciſſe videretur. Nec mocipi temeritate rem feciſſe videretur. Nec moratus liberum tranſitum dedit Oratoribus, illum qui coram aderat amplexatus, cum honore dimiſit. Acceleravere iter Oratores, ut moram celeritate redimerent. Pariſios ingreſſi, cum tumultuoſa obviantium multitudine, viros, habitum, mores, geſtus, arma Polonorum antehac Occidenti incognita, admirantibus Gallis, ſalutavere Regem; tum Henricum Fratrem electum. Ea dies uſitatę Legatorum pompę data, neceſſaria Legationis in poſteram tranſlata lucem. Oratores inito conſilio, properavere in curiam electi Regis, cui oblata pacta conventa: Acceptavit ille lubens, & aſſenſit;

P Pe-

Petiit tamen ne tam ſtricta lex ſibi poneretur de educendis è Gallia hominibus quibus ad domeſticum Palatii obſequium opus haberet. Reſpondere Legati: non ſuæ poteſtatis eſſe aliqua ratione infirmare, quæ à Republica lata; procuraturos tamen omnimodè, ut in futuris comitiis coronationis, molliùs Status decernerent. Sed nova oborta inter Legatos difficultas, de ſervanda pace inter diſſidentes in religione, cujus cauſa ſuperiora recitare in rem fuerit. Cum in Comitiis Convocationis confœderatio, ſeu pax diſſidentium in religione, antiquis legibus nuſquam habita, gliſcente hæreticorum potentia, ſtabiliretur, aſſurrexere plurimi Epiſcoporum, certam (ut vocant) proteſtationem interponentes, ullas confœderationes ſe velle noſcitare, ſufficere ſibi leges antiquas, neque ejus loci & temporis eſſe, novas condere, preſertim cum interregni tempore nullum negotium agi oporteret, præterquam electionis, ad tempus rem differri oportere, quoad novus Rex eligeretur; ſi item quolibet interregno, pro arbitrio & licentia populi (nequoquam tuente Regum Majeſtatem) conderentur leges, brevi nullus Rex habendus foret. Sed cum multitudo diſſidentium obſtreperet, imo Catholicorum nonnulli rem ad diſſidium inclinari viderent, magiſque audaciam accendi, dum, in tanta diſſidentium multitudine, parva legum appareret contra gladium authoritas, perſuaſere potiùs infulatis, quatenus ſuperſederent, meliora deſuper ſperaturi: Nonnunquam prudenti conniventiâ, ubi prohiberi ſcelus non poſſet, citius voluntatem peccandi hebetari, aut dum ſacietas vitioſæ licentiæ peccantes caperet, aut tandem placeret virtus: in rem ac rationem eſſe Belgarum tumultus, quos aut importunus, aut ſaltem ex eo quia ſerus, inquirentium excivit rigor, cum prævalidæ hæreticorum numerarentur manus, quos ſatius foret per legum conniventiam ſubditos habere, quam prohibitis petendo, quæ ſervari per fiduciam avitæ potentię non poterant, contumax inſinuare nonobſequium. Motus tandem iis rationibus conticuit Clerus, tamen non ut concedere, ſed diſſimulaſſe videretur: Neque parvos modeſti conſilii jam fructus carpimus. Sine impulſu

pulſu & armis, ſpontaneo ſe reſtituentibus ſingulis veræ matri eccleſiæ, qui per peregrina fidei dogmata, ablati erant in diverſa, ut verum ſit, ductu, non impulſu flecti, non frangi hominum animos. Cum ergo Pariſiis pacis diſſidentium in religione fieret mentio, tres Oratorum, videlicet EPISCOPUS, PALATINUS, & MARSCHALCUS CURIÆ LITHVANÆ, proteſtatum eſſe contra, dixere; nec poſſe inter pacta conventa acceptari. Ad ea reſpondit Rex: Se in eo nihil concludere poſſe, in quo Legati non convenirent: Tum JOANNES ZBOROVIUS unus ex Legatis, iſque diverſæ religionis homo, obverſus ad Monluccium, (qui nomine Henrici Legatum in Polonia egerat:) Utique (inquit;) Ni vos Legati nomine Principum hanc conditionem acceptaſſetis, hicce Princeps nobis contradicentibus in Regem non poterat eligi: Notavit Henricus Monluccium cum ZBOROVIO acerbius colloqui, ſed cum verba ſermocinantium, in parte audire non poſſet: Quid tecum loquitur (ad Monluccium converſus, inquit;) hic Polonus Orator? Tum ZBOROVIUS præoccupans

pans

pans reſponſum Monluccii, nec quidquam cunctatus: Ajo (inquit) Rex Sereniſsime; Ni hi Oratores tui hanc conditionem diſsidentium de religione, (uti cætera omnia) nomine tuo acceptaſſent, nobis contradicentibus, Rex eligi non potuiſſes, imò ni jam approbaveris, Rex Poloniæ non eris. Pupugit adſtantium Gallorum aures vox, eoque magis, quia ſub dominis nati, liberam pro libertate vocem, periculo offenſæ, in præſentia minime audiri poſſe ſperabant. Credebant ideo Regem electum ZBOROVII reſponſo offenſum; Verum Princeps, qui ſciebat ſe liberum Populum ſub imperium acceptare, dictum ea modeſtia tulit, ut placuiſſe videretur, addito ad prudentiam reſponſo: Oratorum potius in eo cauſam, quidquid mutuo conſenſu apportaretur, non improbaturum ſe, inirent potiùs conſilium, ut poſteriori die concordes accederent. Tandem condeſcendere Oratores cum cautela, ne, in præjudicium Catholicę Romanę fidei, ea Lex extendi poſſet. Difficultatem unius quæſtionis altera excepit, de importando in Poloniam proventu è Patrimonio Henrici, quam conditionem eo

ſenſu

ſenſu interpretabantur Oratores, quatenus illa pecunia, in ærario Reipublicæ ſub cura ſupremi Theſaurarii poneretur. Sed recuſavit Henricus; ſufficere (inquiens,) ſi ſequeretur vim & ſenſum conditionis, ſuaque in Poloniam importaret, ac velut privatum æs, ſub ſui unius libera poteſtate & diſpendio haberet. Non ultra pertinaces ſtetere Oratores, nam pro amore patriç potiùs certabant, quam ut obtinere ſperarent.

Emanavit in vulgus Gallicum fama, tam ſtrictas à Polonis Henrico ſcribi leges; Unde variè à variis accepta. Nonnulli ut gnari legum liberi populi, & Rerumpublicarum, ubi Reges non naſcerentur, verum eligerentur, ſine admiratione rem tulere; reliqui verò rectorem populorum non poſſe fieri niſi Monarcham, ſorte ſua naſcendi metientes, varia muſſitavere. Henricum non Regem, ſed legum Polonarum mancipium futurum, non majori in Republica poteſtate uſurum, quàm Princeps Venetiarum uteretur; Sufficere Henrico ſuas opes, nec alienas, quibus libera Principum ligaretur poteſtas, oportere quæritare. Hæc

Hæc paſſim per urbem, paſsim in curia Regis agitabantur. Delata rei fama ad Oratores Polonos, (uti invigilavere, ne ſibi incognitum foret, quid in urbe, quid in curia, de ſe ſuaque Republica rumor ferret, neve ignorarent, quid facto opus eſſet,) nequidquam cunctandum rati, in quo populi Poloni dignitas graviter verteretur, ad Henricum perrexere, ne morâ damnum res ſua pateretur. Sæpe vero accidit, ut fallax fama, ſi ſæpiùs eadem loquatur, in aſſenſum prudentiores quoque trahat. Cum ſtetiſſent coram Electo, cum CONARSCIUS EPISCOPUS POSNANIENSIS, Primas Legationis, eo uſus eſt ſermone:

Equidem, Rex Henrice, dolentibus animis ad te Regem noſtrum accedimus, tua noſtraque cauſâ; tuâ, cum te Regem maximum à nobis Polonis nuper electum, videmus nonnullorum acerbioribus dictis peti; noſtrâ, cum tantum authoritati Reipublicç deeſſe videmus, quantum Regum noſtrorum nomini derogatur, ea verò credere perquam juſtiſsimum eſt. Ajunt enim aut purpuram Polonam non eſſe tanti, quç à te petatur, aut tuæ perſonç condolent,

lent, qui Rex noster electus, in spontaneam servitutem legum consensisti. Qui verò ii sunt, qui hæc ajunt? ii sane, qui vel quid sit Regem fieri ignorant, vel de nobis, qui remotius ab hac gente absumus, falsâ accepere famâ. Ego verò nimis magna Polonos tibi detulisse arbitror, ni cætera adsint. Illud certe maximum, qui te tot populorum Rectorem creavêre: Non multæ opes aut grave ærarium, Principum felicitas est, sed cum pluribus gentibus præsunt. Profunduntur Principum æraria, fiunt alieni æris debitores, cæteri auro & opibus affluunt; ille tamen maximus Rex est, qui plurimis populis cum dignitate præest. Verum absit suspicio verbo, ut ea tibi solum Polonos deferre arbitreris, habes reliqua omnia, quę te maximis regibus parem, habes, quę te majorem, reddant. Audio nonnullos vocitantes, qui Regum Polonorum Majestatem, intra Venetiarum Ducis occludunt authoritatem, nil de eo Principe loquar, nostra qualiter se habeant, à me audi. Jura Majestatis sunt: Leges populo dare, bellum indicere, Legatos mittere & accipere; tum comitia indicere, monetam cudere,

dere, honores Reipublicæ pro arbitrio conferre, & cætera minutiora. Illis prioribus Respublica mutuâ tecum potestate utitur; tria postrema ab unius Regis dependent voluntate: Nec ideo tamen arbitrere, te ea in parte Regem infelicem haberi, quia non in omnibus absolutus; gaude potius; felicissimus es: provisum ea communitate potestatis à Republica, ne sui Reges, laxiùs legibus habiti, civibus atque adeo Reipublicæ nocere possint, ideoque tu, quia nemini nocendo acerbus futurus, ab omnibus quid ni meros amores expectas? aut (quod proprium Regum Poloniæ Symbolum) in sinu cujusque civis tutus obdormire audebis. Jam opus est, ut opes quoque regias cognoscas; Tibi uti Regi ærario opus, quantum ad domesticas aulæ impensas satis habeas, ut munificus sis, ut militum stipendiis ac bello sustentando non deficias. His tu omnibus abunde sufficies. Privati tui reditus (uti nobis regię mensę bona vocantur) prope tertium florenorum millionem ascendunt. Ingens sane æs, si pręsertim expensarum paucitate metieris; non inde bella providebis, non munificus eris, non pu-

publicos curiæ adminiſtros, aut aulicos ſuſtentabis, qui in aliorum ſpem præmiorum cum honore aderunt: ſed menſam tuam inde inſtrues, & paucum miniſterium providebis. Quoniam de munificentia regali mentionem feci, eam proſequar. Feliciſſimum, crede mihi, in ea regiæ dignitatis parte, Reſpublica te fecit, neque Gallia aut ullum Regnum (abſit invidia verbo) tam fœcundum proëmiorum eſt, quam divite manu regibus ſuis ſubminiſtrat Polonia diſtribuenda. Sive infulam ſpectes, ſive ſpectes gladium, ſunt opulentiſſimi Epiſcopatus & Abbatię, ſunt præfecturæ plurimæ, centenis & ultra millibus florenorum cenſus annui dotatæ; & alii minores fundorum proventus, qui publici & benemeritorum fundi vocantur: Horum etſi tu Rex arbiter diſtribuendo futurus es, nec tamen tibi retinere vetante lege poteris, quia hæc benemeritorum virtuti, præmia dicata, ut plus munificus ſis, qui lege munificus eſſe teneberis, ea tu pro arbitrio certâ judicii menſurâ benemeritis civibus divides; his amicos parabis, his virtutem tuorum provocabis, ac bene-

benefaciendo unquam deficies, è tanto beneficiariorum numero, aliis indies concedentibus fatis, aliis nova præmia expectantibus ac promeritis. Quia verò Regię munificentię triplo, aut quadruplo plus, quàm privatis impenſis à Republica tibi in annos conceſſum; ſcivit namque Regium eſſe, plus cæteris dare, quam habere ſibi. Reſtat item ut de gerendo bello loquar. A belli ſumptibus liberum te Reſpublica fecit, illius eſt militibus ſtipendia numerare, armamentaria inſtruere, tuum verò (at mutua tamen poteſtate cum Republica) bellum indicere, vincere, & triumpho uti. Hæc tibi omnia paria ſunt cum cæteris Regibus. Jam audi cætera, quę te majorem facient. Imperaturus es populis, qui ut liberi ſunt, te tamen Dominum agnoſcent illi terræ, quæ unquam niſi ſibi electis Regibus tributaria fuit, nec fractura eſt imperii Romani. Quod ad dignitatem quoque purpuræ noſtræ accedat, extra ordinem Occidentalium eam locari, imo alterum juſtè dici imperium in eo populo, quem non attigit Romana dominatio. Conſeſſurus es in eo ſolio, quod non novit huc uſ-

 que

que nec veretur ſicarium, in eo, in quo nuſquam captivi conſedere Reges. Magna ſunt hæc, mihi crede, nec invenio gentem, quę hæc omnia decora ſimul capiat. Quanti verò eam fortunam ducis, qui Princeps natus, Rex à nobis electus es? ſi tibi in hæreditario regno naſci contingeret, regnum tuum acceptare non fortunam duceres, ſed debitum; nec te magnum Orbis crederet, quem ſors naſcendi crearet Regem; nunc verò quia illud regnum, quod nullâ ratione hæreditati debebatur, ad te delatum eſt, beneficii loco, (parce verbo) repones, & quoaduſque ejus Electionis memoriam retinebis, gratulaberis tuę virtuti; nec jam dubitabis te maximum Principem haberi, qui tot populorum cenſura magnus judicatus; imò inquam, totus Orbis virtutes tuas mirabitur, cui notum fuerit, te in tantorum competitorum ubertate, maximum à nobis inventum. Hæc tu omnia cum purpura noſtra, magnæ virtutis accepturus es præmia.

Non ingratus Henrico erat Legati ſermo, eoque magis quo pręter opinionem acciderat. Tum Reſpondit: Quandoquidem Deo viſum

eſſet & Populo Polono electori, ſe Polonorum Regem fieri, curaturum pro virili, ne ſuæ electionis Polonos pœniteret, nec darent aures linguæ loquacis populi vana ſæpius loquenti, ſcire ſe quorum Rex fieret, ſcire item quare in tam diſſitas Polonorum terras, audita morte *Sigiſmundi Auguſti*, Legatos ſuos fratriſque Regis Gallorum, ad regnum petendum mitteret. Oratores bono affectu Principis utendum rati, mentionem intruſere Annæ Principis, piam & prudentem Principem indicantes, nec minus è Reipublicæ, quàm Henrici commodo futurum, ſi ſociam Sceptrorum acciperet. Ad ea Henricus; Bona ſibi polliceri (reſpondit) de eo Polonorum affectu, & pia ac tutrici cura, quam erga Prolem ſuorum Regum ſtudioſius portarent, nec deſperare item, ſi bona fata aliquos ſibi ſucceſſores darent, pari Reipublicæ cura, iis proviſum iri; quantum verò ad negotium Matrimonii: ſe non poſſe ſubita de eo dare reſponſa, ſed referre ad Ordines regni, ſeu Comitia Coronationis; reliqua verò, quæ porrigerentur per Legatos, approbare ſe & juramento corporali confir-

mare velle, æque cum Carolo Rege Galliæ (nam Legati eam conditionem petebant) in pactum cum Galliæ regno certi fœderis. Dicta ergò publici juramenti dies, ubi ſumma pompa utrique Reges in Cathedrale urbis templum perrexere, ac ſolenni ſe obligavere juramento. Adfuere præſentes Henricus Borbonius, Rex Navarrę, (qui poſtea Rex Gallię coronatus, poſt cædem noſtri Henrici Valeſii,) & quique Gallię priores; inde in Palatium Parlamenti diſceſſum, ſimul decretum electionis electo Regi Henrico porrectum. Carolus Rex Gallię lætus fratrem in Regem creari, novum in ſua terra Principem, nova nec domeſtica Pompa acceptare ſtatuit; Urbe per ſecretum egreſſus, publica ad authoritatem pompa retro in urbem introduxit. Ubi Henricus medius inter fratrem Regem Galliæ, & Regem Navarræ portas ingreſſus ad palatium Parlamenti ducebatur; Ut verò novo Principi integer honos haberetur, oblatum per Cancellarium Regni Gallię ſigillum, conceſſa poteſtas, omnia negotia pro arbitrio diſponendi, honores & officia diſtribuendi, quoaduſque in Gallia commo-

moraretur. Sic multi dies intra gratulantium ſtrepitum conſumpti. Verum Legati medios inter feſtivos plauſus, graviter ferebant moram, ſæpius Regem adibant, ad ſuos properaret, monebant; Liberaret Rempublicam metu, quę de abſente ſollicita eſſet; Præterea de Moſchorum novis moliminibus nunciari ſibi, quos multum depoſituros ex animo ajebant, ſi intra Rempublicam Regem eſſe præſentirent. Verum Rex diſceſſum ſuum otius aperire non poterat. Hinc obſtabat itineris difficultas, illinc amor fratris & genitricis terræ. Mittere potius in Poloniam viſum, viæ præcurſorem, ad confirmandos Polonos, quoram negotiis brevi adfuturus Rex erat. Nec Legati interea pro ſuâ parte, quę inibi geſta, literis ſignificare intermiſerunt. Res (nempe) bene conſtitutas haberi, ſubſcripſiſſe Henricum, & Carolum pactis conventis, juramento omnia confirmaſſe, quorum exemplaria per Zborovium miſſa manibus utrorumque Regum ſubſcripta. Significavere præterea de Comitis Haſſię, & Palatini Rheni in ſuum per Germaniam tranſitum humanitate, dignoſ-

gnoſque haberi ideo, qui amici populi Poloni nuncuparentur; verum à duce Saxonię ſecus ſibi factum, retardatum ab eo tranſitum, neque defuturas occaſiones Reipublicę, quibus ſuam authoritatem ſalvam haberet. Cum his Zborovius in Poloniam miſſus. Tentabat interim Rex conſenſum Imperatoris de libero per Germaniam tranſitu, ſed noluerat Imperator vicinum Regem negando offenſum ſibi parare, quem amicum habere maluerat. Ingreſſus iter Henricus Poloniam verſus IV die Septembris, comitante fratre Rege Gallię, qui ad Polonorum ire fines in animo habuerat, verum quia repentinus morbus propoſito obſtitit, non ultra XX milliaria progreſſus, fratri lachrymabundus valedixit, nonnulla cum eo ad aurem collocutus, qui verò ille ſermo fuerat, ignoratur. Credo (uti ſuſpicatum) amicè monuerat Henricum ſuę ſterilitatis. Ne (ſi quid ſibi fatorum accidiſſet) negligeret diligentiùs proſpicere rebus è longinquo, quod non alium hæredem ſtirilitas ſua regno Galliæ polliceretur, pręter Henricum: Pręſaga omnino erat mens Caroli ſui fati in proximo, ſic

mutuos

mutuos amplexus inter, Pariſios Carolus, Henricus Lotharingiam verſus perrexit, inde per Germaniam inter occurſus Principum electorum Imperii prætervectus, ſtetit in finibus majoris Polonię die XXIV Januarii. Progreſſi plerique Senatorum obviam, ii præſertim qui ſenatuſconſulto electionis dicti erant Occurſores. Tum quiſque è nobilitate ad obſequium novi Regis promptior, accurrendum ratus, ut multis millibus hominum complerentur campi.

Annus Chriſti MDLXXIV.

DUm in agrum Polonum Rex pedem intulit, ſeceſſit ſub tentorium Sacro vacaturus, bonis namque auſpiciis terram, quam recturus erat, ingredi oportuit. Inde Cracoviam verſus caput Regni properabat, ut funeri regis anteceſſoris adeſſet: verum Senatores à latere conſulebant valetudini defeſſi Regis, perſuaſere potius aliquem purpuratorum Galliæ, quos ſecum in pompam traxerat, mittendum. Adfuere illi ſepulturę externorum Re-

R gum

gum & Principum Oratores, aderat Senatus; Infulati Epiſcopale munus circa feretrum obibant; Cæteri ſua præſentia triſtem juvere pompam, præceſſere omnium regni terrarum Legati; item equeſtres ſigniferi, vexilla provinciarum ac ſtemmata præferentes, tum portabatur corona, ſceptrum, pomum aureum, gladius, Regum decora, omnia ad humum verſa, ut majorem loquerentur triſtitiam. Ad ſepulchrum verò miniſtri curiæ ſua fregere inſignia, Marſchalci baculos, Cancellarii ſigilla, item & armigeri haſtas, ut regio nihil deeſſet funeri. Acceleravit iter Rex Henricus Cracoviam prope, ſtetitque uno ab urbe milliari: Omnes ſubinde regni proceres, ac primarii regni ſenatores urbe effuſi, occurrebant adventanti, plerique ſoli cum domeſtico comitatu, quatenus major appareret Senaroris pompa, ducentos alii, trecentos illi duxere haſtatos equites, jam verò levioris armaturæ armis & equis decoros; ipſi rhedis pro authoritate vehebantur. Tantus tum erat armatorum numerus, ut potentiſſime hoſti ſufficeret Polonia reſiſtendo. Polonis enim ea triumphi & Pompæ

pæ

pæ ratio eſt, ut turbam ſecum trahant armatorum, neque in eo prodigalitatem ducunt, verum ſibi ex numero decus, & Reipublicæ in caſu præſidium. In ea Pompa PETRUS MISKOVIUS EPISCOPUS PLOCENSIS amplo Regem ſalutavit ſermone, omnium regni Ordinum nomine, utque lætus urbem primariam Regni ingrederetur, ſtudioſiùs invitavit. Interim per Archi-Marſchalcum aulicorum turba verſus urbem ordine moveri juſſa: Armatæ acies equitum dextro latere ſtetere, peditum legiones ſiniſtro, medio iter relictum, quo Rex ducendus erat. Progrediebatur Henricus ſub aurato cælo albo inſidens equo. Datus item honos peregrinę gentis purpuratis, qui cum Henrico aderant (uti Dux Guiſius & alii Ducum præcipui) qui medii inter binos Senatores ante Regem introducti. Admirationi tunc erat advenæ populo Polonorum ſplendor, ac maxime Henrico, crevit inde amor regni & incolarum, qui Regem tam illuſtri proſequerentur cultu. Ad Occaſum jam declinaverat dies, cum ad urbem ventum, nec ideo demptum majeſtati adventus regii;

fa-

facile adinvenit ſua decora nox & pompæ apparatu certavit; ſuccenſæ lampades in portis, illuſtratę domus facibus, ſupra arcus triumphales micuere ignes artificioſi,mœnia reſplenduere machinarum ictibus. Interim Rex in templum urbis cathedrale, quod in arce habetur, recta ductus, ut grates haberentur Deo, quod illa ſedes regia diu vacua, ſuum feliciter receptaret poſſeſſorem. Altero die convocavit Rex Senatum & Ordines, (moris autem eſt, ubi novum Regem coronare oportet, Legatos provinciarum adeſſe juramento regio, neve quis error irrepat, cavere,) gratias coram habuit, quod ſibi tam potens regnum volentes offerrent,invigilaturum ſe per Numinis opem, ne ſua regimina reprobari poſſent, ſcire ſe optimorum Regum præcepto, quos regendos ſuſciperet, nec ignorare quis ipſe fieri deberet, modo tam promptos & faciles in parendo habere poſſet quam in conferendo ſibi ſceptro reperit: certiſſimum autem argumentum eſſe boni regiminis, velle Regem rectè imperare, & velle ſubditos prompte parere. Quantum verò ad libertates ſeu firmandas, ſeu conſervan-

vandas, attineret, non tantum ſcriptâ chartâ aut privilegio, ſed ſanguine & vitâ obſignare ſe velle.Movêre ea verba aſſidentem Senatum, & cæterorum adſtantium affectus. Tum reſponſum omnium nomine: Non deſperare Rempublicam, Henrici regimina fore ſecundiora,quem Superûm voto in tanto competitorum numero ſceptro digniſſimum judicaret; cum alii quodam vicinitatis aut familiaritatis jure ad purpuras Polonas magis pertinerent. Quantum verò de civium prompta ſubjectione inquireret, prope eſſe ajebant, ut ii velint promptè parere, qui imperari voluêre, non aliud Polonos præteritâ electione quæſiviſſe, quam ut Regem ſibi invenirent. Et quoniam Henricum invenerant, lætam eſſe ejus adventu Rempublicam, lætari quoque debere ſua coronatione Henricum. Dicta tunc eo in Collegio dies XX Februarii futuræ Coronationi; ſimul præmonitus Rex more coronandorum Regum, ut templum ſancti Staniſlai (Rupella dictum:) pedes inviſeret; nam quod Boleſlaus Rex (à ſuo facinore audax nuncupatus) occiſor Sancti Staniſlai Epiſcopi Cracovienſis, eo

in templo per ſcelus patrarat, illud novos Reges devota prece expiare, mos tenet. Poſt ſolennia Coronationis Rex pro more accinxit ſe primus Comitiis. Propoſita per Cancellarium negotia ad diſceptandum; Petitę ſenatorum ſententię, varii varias tulere, quas recenſere non eſt in animo, ne perplexitatem huic adferam ſcripto. non præteribo tamen magnę prudentię viri ſermonem, (ſed pœnitet cujus nomen ignoro, ad tantę ſententię gravitatem illuſtre nomen ſcire oportuit) ſapienter ille admodum deſſeruit de confirmatione jurium & privilegio legibus inferendo, in eum modum:

Quemadmodum, mortuo Rege Sigiſmundo Auguſto, à Deo Maximo precatus ſum, ut Regem noſtrum concordi eligeremus aſſenſu, ita nunc rogo, ut tecum, Henrice, nobis jam imperante, non diviſis imperemur animis. Si verò unquam alio tempore, his præſertim primis Comitiis Coronationis, non dixerim concordia, ſed quod ultro requiro, amore mutuo nobis opus, ut ad Rempublicam converſi, unus alteri privata condonemus ſtudia, ac velut de una loquamur Republica, & ullam cau-
ſam

ſam diſmembrationi Provinciarum demus. Hæc Comitia de libertatibus noſtris ſententiam latura ſunt, horum eventu novum Regem (quem Numen diu ſervet) imperare nobis docemus, aut quomodo pareamus docemur. Hic noſter amor in Patriam, concordia, prudentia, aut, quod abſit, pertinacia, amor privati ſtudii, mutua diſſidia; hic, verbo dicam, incolarum genius novo Imperatori noſtro patebit; ut boni & ſtabiles reperiamur invigilandum eſt, ut tacito præcepto inſinuemus Regi noſtro, rectè, prudenter, demum ex amore Reipublicę eum debere imperare. Te verò, Rex Henrice, ſapientem eſſe Principem & credimus & certò ſcimus, credere anteacta vita tua nos jubet, ſcire noſtra electio. Non ignoramus enim quem te è Gallia ad purpuram evocavimus. Sed jam quod hujus conſeſſus eſt ajere me oportet, & loqui quod non fucatus candor imperat. Bona huic Reipublicę opto, coronatum habemus Regem, libertates noſtras juramento confirmari videmus, nil amplius reſtat, quàm ut privilegium, in Comitiis electionis conſcriptum, li-
bris

bris constitutionum inseratur; Ac de hoc ego nonnulla loquar, nec vereor, ut mihi vitii loco vertatur, cum, me præsente, ea libertatum puncta conscribi passus sim, nunc dum ea legibus inserere oportet, secus sentiam. Pertinacem quæso magis consiliarium judicate, quàm prudentem, cui cum salubriora venerunt in mentem, à sententia priori recedere indignum ducit: Ego verò existimo Senatorem quemque bonum non quę plures aut pauciores sequuntur, non quę aliquando ipse sentit, aut sensisse visus est, sed quod optimum, dum consulit, judicat, sequi oportere, nec ea inconstantia est, sed potius constans sapientia & amor Patriæ. Fateor ego omnia pręclare in eo privilegio esse conscripta, multa specificè nominata, sed arbitror meliùs à Republica provisum antiquarum legum generalitati, quam à nobis specialitati, quâ non aliud obtinere cupimus, quàm repetitam legis unius interpretationem, vacillando vim prioris. Cautum antiquitùs lege habemus, ut penes nos maneat libera Regum electio, tum ne Rex privato arbitrio quidquam statuat, quàm ex Senatus-consulto, quid ultra

opus?

opus? tutiùs hanc legem uti universalem tueri, plusque ejus interpretatione liberi sumus, quàm si ad specialitatem descenderimus, cujus hæc est natura, ut si quid non expresseris, pro omisso habeatur. Ille vero articulus denegationis obedientię, juramento Regis inclusus, nonnè apperit viam licentiæ insolentioris populi, huic obviando cautela quæso adjiciatur, ut antiquo more moneatur Rex, primum per Primatem: Multa certè per errorem humanum elabuntur; errores humanos tollere, humanitatem est tollere, præsertim in Principe, quem cum plurima mortalium agere oportet, in pluribus ut peccet, tristi quodam privilegio fragilitatis humanæ licitum habet; nec ideo temerariò inobedientia inducenda, tuenda est omninò authoritas Regia, cui si quid omnino derogaverimus, non credamus quæso libertatibus nostris melius provisum iri, sed demptum diminutâ authoritate in Principe, diminuitur in populo superioritatis respectus, ut omnia per licentiam fieri debeant. At si pertinatius tamen peccare velit Rex, sunt alia, quæ illum in officio retineant;

S Scri-

Scriptę leges, jusjurandum, Senatorius ordo, authoritas Primatis, qui poteſtatem habet cogendi Senatus, ſi Rex noluerit eſſe Rex ſed tyrannus. Circa motionem communium armorum haud diſcrepo à ſcripta lege, in eo tamen difficultas occurrit, cum vetamus talem exercitum in parvas aut magnas partes poſſe dividi, qui campi quæſo ſufficient huic populo capiendo? ni dividatur, qui agri nutriendo? peſtis, fames, amat comitari viris onuſtos exercitus, apud nos præſertim, cum ſinguli nobilium, ultra comitatum, quem armis capiendis ſecum trahunt neceſſarium, decenos vicenoſque viros, totidem equos, paulo pauciores currus poſt ſe ducunt, minime neceſſaria caſtris onera; Cur non ſufficeret unicus currus victui devehendo aptus, aut ſaltem tot bijugi, quot equi armati? duo item famuli in locum cæſorum ſubſtituendi, reliqua turba frumento & pabulo conſumendo apta ſemovenda, ne patriis agris ſit oneri. Illud item minus opportunum, tempus bellandi lege præſcribere; Inſcripſimus enim privilegio: *Quod ſi intra duarum ſeptimanarum ſpatium extra fines non fuerimus ducti, licebit*

licebit cuique ad ſua libere reverti. Quæſo ſi bellum cunctatione gerendum eſt, tum ne ad penates per inſolentiam decurretur, cum maximum pro penatibus certare oportebit? utique qui liberi ſumus, nec abſoluto ex imperio Regem, ſed libero Comitiorum aſſenſu, arma generalia indici patimur, pro libertate & patria, cur non voluntarii patriam defenderemus? ſine temporis menſura, ſine ſolutione marcarum ſuper haſtam: ut tandem doceamus nos liberos, nec pro imperio agere: Sat magnum bonis civibus militaris laboris præmium, communem Patriam defendiſſe. Minoris quidem momenti ea quæ locutus ſum; Verum illud diligentius videte, qua ratione incolis terrarum Pruſſię, & Magni Ducatus Lithvanię, ſingularia privilegia, authoritate horum Comitiorum, conferantur; an ignoramus ea ratione diſmembrari Rempublicam. Dum quæque provincia privatis ſtruit ſibi in partibus immunitates, aut ſingularia profert privilegia, diſcunt paulatim ſeparari populi. Ne quidquam ego concedi patiar alicui populo, niſi in commune tota Reſpublica de eo participet. Eædem

dem leges, idem ærarium, eadem libertas, & mores, magnos quoſque jungunt populos; diverſi ritus binos diſſociant homines. Scitote tam diverſos populos hujus noſtri regni non aliud in unius Reipublicæ coëgiſſe corpus, quàm rituum unanimitatem; ut ideo Poloni univerſi vocemur, licet diverſi re ipsâ ſimus populi, idem ſentio de judiciis Capturi, ut unus ubique eorum ſervetur ordo; diverſitas judiciorum inducit diſmembrationem provinciarum. Stipendia danda eſſe militibus cenſeo, nec dubito quod ſacra Regia Majeſtas promiſſis ſtabit. Ut Legatus in Turciam mittatur ad confirmanda pacta, non ſum contrarius. Hæc omnia quæ in medium protuli, modo ſuaſorio à me accipi velim, non ut contrarius aut pertinax ſim; quidquid melius tibi, Rex Sereniſſime, vobiſque viſum fuerit, Ordines, facile legibus inſcribi patiar.

Haud difficulter eo ex ſermone intelligi poteſt, ſuper qua re illis Comitiis diſceptatum, quæ turbulenter tranſacta; confirmatio tamen jurium per ſe ſtetit. Adjecerat non leves motus aut turbas audax Zborovii facinus. Huic anti-

antiqui erant (ac recenti ſub adventu Henrici haſtiludio in majus recruduere,) cum JOANNE TENCZINIO Archicamerario curiæ inimicitiæ; quia verò obvia (pro more inſenſorum) ac hoſtilia arma ſibi indixerant, tum verò durantibus Comitiis in Palatii porta ſibimet obvii. Hiccine eſt TENCZINIUS? (inquit Zborovius) *quem dici obvium quæro.* Tum derepente ferrum, quod manu geſtavit, deſtinavit in ictum VAPOVIUS. Interim Caſtellanus Præmiſlienſis, qui tunc penes aderat, pugnam dirimere volens, paululum declinaverat ictum, objiciens ſe intermedium, verum infenſa & erronea manus, in caput pacificatoris Vapovii Senatoris, læthaliter ferrum illiſit. Sic valuit in Zborovio affectus, & privatum odium, ut nequidquam Majeſtatem præſentis Regis, aut Comitiorum authoritatem vereretur. Vocatus in jus percuſſor, & quia judicis decretum præſens metuit, abſens proſcriptus eſt, tandem aliquot poſt annos vi proſcriptionis captus, pœnam capitis ſubiit, ut infra ſequens ſub Rege Stephano docebit narratio.

Post Comitia Legati provinciales, cum decreto Comitiorum in provincias dilapsi; ast Senatorum plurimi penes curiam mansere, ut Rex novæ terræ inhabitator non per tædium assuesceret loco. Consiliaverat vero sibi hic Rex multorum Optimatum animos, quibus non solum bona publica, benemeritorum premia, verum patrimonium mensæ Regiæ, plerisque concessit, contra instituta regni. Quod ab Equestri ordine jure in vitium acceptum, ut prodigalior quàm munificior haberetur. Posuisse modum leges publicas (ajebant) munificentię regię; multorum agrorum Adjutalitates donari à Rege; reliqua tamen sibi retineri oportere; ideoque segregato à benemeritorum agris nomine, regiæ mensæ bona vocari. Ne si æque hæc ac illa bona prodigaliùs in cives spargerent Reges, attenuato Principis domus magnifico sustentamento, flagitia abirent in censum; uti ob eam causam ominabantur plerique gravem Reipublicæ futurum Regem, qui profusè largiendo placere vellet Senatui, & infascinaret affectum consilii; blanda verò sæpiùs ei Principi dici quam vera, qui nimis amaretur.

retur. Addebant dicto alii, impendere publico ærario non leves impensas, quę tantę prodigalitati Regię haud suffecturę essent; quare compellandos Senatores Nobilitas censuit, quatenus restituerent mensę Regum Patrimonium, neve acceptarent, quæ legibus in contrarium irent, multa esse alia in Republica benemeritorum præmia, multas præfecturas; ea verò bona œconomica, quibus necessitatibus Regiis à Republica provisum esset, nec à Rege cuiquam dari, nec à quoquam acceptari posse. quia vero acceptaret Senatus, malos haberi consiliarios, nec posse secundum leges consulere, qui suo facto leges violatum irent; dubitari præterea quomodo non venalia haberent jura, ob leve præmium, qui ut illicita possiderent, acceptando legem violavere. Hæc privatim inter Nobiles agitabantur, & sine dubio ad restitutionem res devenisset, ni Henricus propero è regno discessu prævertisset consilia.

Lætus interea Rex Cracoviæ, jam venationibus extra urbem vacabat, jam in urbe hastiludiis recreabat animum, sed turbavit hilaria mali ominis portentum; Avis ante fenestram cu-

cubiculi Regalis (nemine cauſam noſcitante) inter prandendum ſuſpenſa clavo. Acceſſere & alia, multę rixę Polonorum cum Gallis ſatellitibus regiis. ſæpiùs reperiebantur noctu per urbem promiſcuè Polonorum & Gallorum cadavera, inde accepit res famam, (ut eſt plebs futurorum ſuſpicax, ac quandoque vera ſimplicitas ingerit,) arduum tandem negotium manere Rempublicam à Gallia, prout evenit. Significarat citato nuntio mater Henrici, Carolum IX, Regem Gallię, conceſſiſſe fatis, ac hęreditariâ ſucceſſione ad Henricum pertinere purpuram Gallicam; (is vero Henricus eſt, qui inter Polonię Reges primus, in Gallia ejus nominis tertius, appellatus,) ni vero otiùs adeſſet, poſſe aliquem reperiri à parte Principis Condenſis, qui abſentiâ Henrici in commodum uteretur. Affecit res non leviter Regium animum; illinc trahebat genitricis terrę amor & hæreditaria purpura, hinc retrahebat ardua Reipublicę cura, & vigilis labor, par regni & incolarum amor. Communicat conſilium cum tribus Gallorum fidiſſimis, quid facto opus eſſet diligentius inquirit. Otiùs (inquit) me eſſe

eſſe in Gallia res, uti ſcitis, requirit; ut verò ſubitò hinc abeam, obſtant leges Reipublicæ, quæ vetant Regem fines egredi, præterquam à conſenſu Ordinum, neque eſſe poteſtatis Senatorum à latere, facultatem diſceſſus mihi dandi, antequam dicantur Comitia, non verò levem meis negotiis moram portendi. Non aliud reſtat, quàm ut clam, vobis comitibus, iter aggrediar: nec credo Ordines improbaturos conſilium, ad quos negotii gravitas devenerit, imo juvabit meum diſceſſum paucis innoteſcere, minus inde periculum mihi incognito per externa tranſeunti. Te verò DANSEN oro, cujus virtutem notam habeo, ſeu ſcripto ſeu vivâ voce referas Ordinibus cauſas mei diſceſſus. Juvat itaque hanc Rempublicam eum Regem habere, qui Gallis ſimul & Polonis pręſit. Non improbant conſilium Galli à ſecretis, mentionem tamen mortis Caroli coram Reſidenti Senatu faciendam ſuadent, inde expiſcari poſſe animos conſiliariorum, improbarentne aut approbarent ſubitarii diſceſſus conſilium. Aggreditur negotium Rex: convocat aliquos Senatorum, confert cum illis diverſa,

ſa, decurrit ad triſtem nuntium è Galliâ circa mortem Caroli IX fratris ſui, ac quàm neceſſario Gallia ſuo adventu opus haberet adicit. Condolent Senatores morti regiæ, non diſſuadent imò optant etiam, ut in Gallias proficiſcatur, ſeque Comites itineris futuros pollicentur, modo de eo negotio referretur ad Ordines: Expiſcatis Senatorum animis Rex ſolvit congreſſum, perterritus tamen Comitialis decreti morâ, ne cum de diſceſſu ſuo inter Ordines diſceptatur, interim hæreditas ab alio raperetur; Uti ſaturibus etiam terrarum nova aſſolet creſcere fames expoſitæ in prædam purpurę. Tacitum ideo conſilium exequi parat. Ad veſperam declinante luce, (erat ea dies XVIII Junii, menſis à Coronatione quintus,) convocat eoſdem triumviros à ſecretis Gallos, alteri imperat equos, reliquis duobus literas, imo nonnullas ſua manu conſcripſit, Latii apprimè gnarus ſermonis. Depoſitis literis ſub tegumento menſæ, profunda nocte per poſticum arcis egreſſus, (ubi admoti erant equi,) otiùs itineri ſe accinxit, paucis Gallorum comitantibus: Omnibus enim de diſceſſu

ſuo

ſuo non conſtabat. Dies interim illuxit; conveniunt in Regiam Senatores, Regem pro more inviſuri, interim conclamatum Regem non adeſſe, viſum à quodam juvene, cum noctu pernicibus equis adverſa Iſtulæ ripâ contenderet. Diſcedunt mæſti è curia, quid cauſæ? mutuo inter ſe ſciſcitantes. Verum ille diſceſſus affecerat non leviter officiales curiæ, ac Archicamerarium præſertim, (erat tum in officio JOANNES TENCZINIUS,) cui pro ratione officii ac familiaritate cubiculi Regii, incubuerat ſuſpicioſa omnia Ordinibus denuntiare. Verebatur ideo, ne pro officio ſuo in conſcientiam facti traheretur. Conſcenſis igitur equis cum comite itineris Nicolao Zebrzydovio Regem ſequi proponunt, cauſam diſceſſus ab eo inquirere, tutum ſibi Reique-publicæ arbitrati. Aſſecuti Regem in finibus Sileſiæ, ultra oppidum Oſwiecimum, deſcendêre ex equis provoluti ad pedes regios, petiere quatenus ab eo itinere ſuperſederet; liberaret Rempublicam metu, parceret famæ regiæ, multa indignè jactatum iri, apud exteras gentes, ad quas fama facti deerraret, aut Regem

T 2 mi-

minime regia tentaſſe, aut Polonos haud gnaros erga ſuos reges ſeu humanitatis ſeu officii, à quibus quinto regiminis menſe ſe ſubtraheret; cæterum penſaret Henricus, an conſcientiæ ſuæ benè conſultum iret, Rempublicam totam ab authoritate Regum dependere, quidquid inordinatum in ſtatu publico, aut injuriarum inter privatos accideret, totum id ſemoventi ſe à ſuo grege Paſtori imputari debere. Non ultra præ lachrymis loqui poterant. Ad ea interim Henricus: Non dubitare vos velim de mea in hanc Rempublicam curâ, multa Patriæ veſtrę & vobis debeo; qui me ſpontè tanti imperii Regem creaſtis;credere vos velim,quoad mihi vita & ſanguis ſupereſt, non ero immemor veſtrę humanitatis:cęterum ut ego ab hoc itinere ſuperſedeam, nec ego facere, neque vos ſuadere jure poteſtis. Si apud vos manſero, Regnum Galliæ, hæreditas mea, aliorum paratur manibus: diſceſſero, brevi rediturus. nec ideo me Regem amiſiſtis; imò multum valebit ad Majeſtatem Reipublicæ veſtrę, tum ad potentiam, ſi obtento meo Regno patrio & opibus, integros regni Poloniæ proventus ejus neceſſitati-

tatibus dicavero. Si verò dubitatis de meo reditu, nec poſſe aitis, Rempublicam pro ejus ſtatu & ordine, abſente Rege, adminiſtrari, Gallia, uti hæreditas, per adminiſtros regi poterit; ad vos verò, quos unicè adamavi, revertar. interim dum nunc paululum à vobis abſum, per prudentiſſimum Senatum,pro authoritate mea,facile conſuletur Reipublicę; Et hæc vobis reſponſa do; ſi ultra mecum loqui placet, aſcendite quæſo currum, nam levia momenta temporis, cauſę obſtant. Aſcendêre currum, petiêre, ſuasêre; verum cum vident fruſtra verba dari, Regiam dextram valedicturi ad oſculum mœſti petunt. Ad ea Henricus ferè ipſe collachrymans: En vobis (inquit manum extendens,)pignus mei erga Patriam veſtram animi! Poſt hæc detracto annulo,porrexit Tenczinio ſubnectens: hoc ſignum eſto & teſtimonium fidei Regię,quia me brevi viſuri eſtis,eas verò literas quas Cracovię in cubiculo reperietis, quæſo curate reddi unicuique, quibus ſcriptas intelligetis; reliquam mentem fidelis meus Danſen vobis aperiet, cui fidem quæſo date. Reverſi illi, recta in curiam perrexere:

Convocato præſenti Senatu literas inventas ſub tapete diligentius inſpiciunt, ac ſecundum titulos fideliter unicuique reddunt, quæ verò ad communem Senatum ſcriptæ, apertæ & in publico lectæ: Quales illæ literę fuerint, nativo ſenſu & verbis recitabo.

Dici non poteſt quanto cum doloris ſenſu in animum induxerimus, ut non expectatis hujus regni Comitiis, in Franciæ regnum, quod nobis nuper legibus jureque hæreditario obvenit, properandum ſtatueremus, ſiquidem merita veſtra erga nos, & charitatem ac benevolentiam, qua vos complectimur intuentes, non potuimus ſanè ſine lachrymis ac ſummo dolore, de hac noſtra in Franciam profectione cogitare. Multa ante oculos obverſabantur, quæ commemorare longùm eſſet, jamque planè venerat recordatio beneficiorum veſtrorum, ita ut omnino nobis certum & conſtitutum eſſet Francici regni adminiſtratione Sereniſſimæ Matri noſtræ remiſſâ & demandatâ, hìc non modo Comitia expectare, ſed etiam, ſi vobis videretur, integram ferè æſtatem degere, teſtis mihi Deus eſt, teſtes quoque non pauci ex Senatoribus, cum quibus ſimul atque de morte Chriſtianiſſimi Regis, fratris noſtri, nuntiatum eſt nobis, copiosè de hac re egimus, atque ex illorum ſententiâ ſub hujus regni noſtri ſigillo

ſigillo ad Sereniſſimam Reginam Matrem noſtram, Mandatum ampliſſimum, (quod regentia Galli vocant) miſimus. Etiam privatis literis noſtris Illuſtriſſimum Principem Fratrem noſtrum, Ducem Alenconium, Henricum Navarræ Regem, & omnes Galliæ Principes ac Proceres ſedulo monuimus, ut noſtri deſiderium æquo animo ferrent, nec adventum noſtrum fruſtra expectarent. Ita profectò ſe res habet, mutandi verò hujus conſilii aut potiùs ſententiæ noſtræ, (quæ penitus inſederat animo) fuit cauſa, quæ à vobis prudentibus & ſapientibus viris credo probabitur. Heſternâ die ſub noctem ferè allatæ ſunt nobis literæ à Sereniſſimâ Regina Matre, & multis Galliæ Proceribus & primariis viris, in quibus ſcriptum erat; Neceſſarium eſſe omninò ut quamprimum, diſpoſitis equis ad celeritatem, iſthuc advolaremus, in ſummo diſcrimine res eſſe Gallicas, actum prorſus aliter videri de vetuſtiſſimo nobiliſſimoque totius Europæ regno, nec ullam aliam rationem eſſe nobis tuendi & conſervandi illius Imperii, quàm ſi intra XX dies Lutetiæ Pariſiorum vel in finibus regni nos ſiſteremus, multa erant alia diligenter perſcripta in illis literis, ex quibus non modo periti rerum Gallicarum, ſed etiam exteri non ignari humanarum rerum facilè poſſent intelligere, illico & ſine cunctatione nobis diſcedendum eſſe: quam-

quamobrem lectis literis, apud me necessariò constitui, quanta possim maximâ celeritate in Franciam proficisci. Cum autem, si de profectione meâ cognitum esset, multa imminere videbantur, quæ celeritatem (in qua omnia posita essent) retardarent, faciendum nobis putavimus, ut tacitè proficisceremur. Itineris Gallici ratio non est vobis ignota, nec ignoratis studia & mores earum gentium, per quas transeundum est, itaque nil opportuniùs, nil securiùs visum, quàm ut omnes de profectione nostra celaremus, ut subita & festinata abitione discessus famam anteverteremus. Habetis paucis rationem consilii nostri. Reliquum est, sic vobis persuadeatis, nequidquam hoc facto, de pristino nostro erga vos totumque hoc nostrum regnum Poloniæ amore decessisse, vos quoque nobis, summam illam, quâ nos hactenus prosecuti estis, benevolentiam & observantiam integram servabitis: Nullam certè nos unquam tuendi, ornandi, & augendi hujus nostri Regni occasionem labi aut effluere patiemur. Dignitatem nostram & procurationem Regni Polonici tantisper, dum absumus, (aberimus autem quàm minimum poterimus,) fidei & prudentiæ vestræ commendamus, cupimus insuper & optamus, vos ut primo quoque tempore egregios viros, ex omnibus Ordinibus lectos, ad nos in Galliam mittatis, cum quibus seriò & diligenter

genter de omnibus, quæ ad utilitatem & ornamentum hujus regni pertinent, tractabimus. Iterum atque iterum salutem & concordiam, incolumitatem regni nostri & existimationem nostram, vobis quàm obnixè fieri potest commendamus. Benè valete.

Datæ Cracoviæ XVIII *Junii Anno Christi* MDLXXIV.

Privatorum etiam codicilli legebantur.

Ad Stanislaum Carnkovium Episcopum Cuiaviensem.

R*Everendissime Domine, sincerè nobis dilecte; Pro mutatione rerum ac temporum, mutanda quoque consilia Paternitas vestra non ignorat, id ipsum prudentes viri fecere semper, & nobis quidem necessario faciendum est. Constitueram enim superioribus diebus (quemadmodum Paternitas vestra ex me bis intellexit) hic apud vos manere, saltem donec Comitia indicta coacta & peracta fuissent. Nunc verò, cum ex literis Serenissimæ Reginæ Matris meæ, quas hodie sub tempus cœnæ accepi, intelligam, res Galliæ eo statu esse, ut de toto illo amplissimo regno meo actum sit, nisi quamprimùm, & incredibili celeritate illuc pervenirem. Cogor mutare consilium & in Franciam, quàm maximis potero itineribus, proficisci. Celare discessum meum æquum est propter multas*

tas causas, quas Paternitas vestra à nobili & generoso Dansen, consiliario nostro, audiet, cui ut fidem adhibeat in omnibus rogo. Ego nihil magis cupio quam utrumque regnum retinere; nec enim id novum est nec Regibus vestris adversatur, & erit Polonæ genti perhonorificum, eum habere Regem, qui Gallis imperet. Verum de toto negotio, quod gravissimum esse puto, quodque mihi magnopere curæ est, ut debet esse, cum Paternitate vestra aget copiosè & ex animi mei sententia dictus Dominus Dansen. Puto me à vobis amari plurimùm, quemadmodum quoque vicissim nihil est, quod non vestrâ causâ velim. Novi ingenium tuum, novi fidem & integritatem; hoc tamen peto & à prudentia tua expecto; contendat & efficiat Paternitas vestra, ut incliti Senatus Poloniæ, & alterius quoque Ordinis studia erga nos eadem maneant, quæ hactenus fuere. Incumbe quæso totis viribus in eam curam & sollicitudinem, nil mihi gratiùs potest accidere: Faciam ego autem, ut tu nec immemorem ames, nec ingratum Principem dilexisse videâre. Bene valeat Paternitas vestra sincerè à nobis dilecta. Regnum nostrum Poloniæ & existimationem nostram vobis commendamus. Datæ Cracoviæ de XVIII *Junii Anno Christi* MDLXXIV.

Eundem in sensum reliqui codices Senatoribus

missi. Post lectas literas, quiqui tunc erant Ordinum Cracoviæ, capiunt consilium, & quid facto opus esset, perquirunt. Placuit vocari & interrogari Dansen: vocatus ille, libellum in medium protulit, quo haud dissimilia à ratione literarum Henrici continebantur; nec opere pretium est, licet habeam scriptum ad manus, hic referre.

Prima incubuit cura Senatui pro authoritate Reipublicę certare, ac emissis in vicinos populos tabellariis, discessum Regis evulgare, item causam. Præsertim in Austriam ad Maximilianum Imperatorem Romanorum, qua Henrico transeundum erat. Ne si apud eum populum falsò rem accusasset fama (uti ea in malis novitatibus pejora plerumque nunquam sibi constans loquitur,) & à fato Caroli Regis Galliæ, in Populum Polonum causam discessus Regii transtulisset; injuriosè sua plecteret authoritate Rempublicam. Scripsêre pleraque ea de re Imperatori, scripsere ipsi Henrico, utriusque epistolæ hic sequitur ratio.

Ad Maximilianum Imperatorem Romanorum.

SAcra Cæsarea Majestas; Observantiam nostram fidelem & amicam ad Majestatem vestram deferimus, Senatores Regni Poloniæ.

Faciendum putavimus, ut Cæsaream Majestatem vestram, pro ratione vicinitatis nostræ certiorem faceremus de his quæ proximè præteritis diebus apud nos acciderunt, quamquam ea minime ignota sunt Majestati vestræ. Quinimo certò scimus Serenissimum Regem nostrum ditiones Majestatis vestræ intrasse, & rectà Viennam ad Majestatem vestram pervenisse, non satis pro Regiâ dignitate, paucis duntaxat comitantibus. Qua ex re Majestas vestra facile intelligere potest, suam Majestatem Serenissimum Regem nostrum præter scitum & opinionem nostram è regno discessisse. nam cum Majestas vestra non ignorat, qua fide & observantiâ nos Principes nostros prosequi soleamus, neq; hunc Serenissimum Regem nostrum debito honore privaremus, si conscciis nobis profectionem instituisset. Subsecuti sunt eum aliquot officiales regni, & assecuti ultra oppidum Oswiecimum, demum Prumnice usque ditiones Majestatis vestræ processerunt, sed ab instituto suo nullà ratione revocari passus est. Reliquit quidem literas ad nos, quibus hoc regnum nobis commendat, & causas explicat, quamobrem nos celaverit de profectione suâ, & Serenissimam Matrem, Patriam, ac regnum illud florentissimum, ab interitu vindicaret. Ut primum de morte Christianissimi Regis Galliæ fama apud nos percrebuit, & Successionem ad Serenissimum Regem nostrum devolutam esse: In eo quidem, quod illi naturaliter & hæreditario obtigit, deesse noluimus; tum de salute & commodis regni illius, non minus quàm de nobis ipsis cogitationem suscepe-ramus. communicatisque consiliis de rebus ambabus, statueramus providendum adeò, ut nullum Serenissimus Rex noster fidelium subditorum officium in nobis desideraverit, sed ejus rei culpa hæret, non tam penes excelsum & penes regium animum ejus, sed penes eos, qui eum privato consilio ad hoc factum impulerunt. Ex his omnibus Sacra Cæsarea Majestas vestra pro sua prudentia judicare poterit, discessum hunc Serenissimi Regis nostri accidisse his temporibus, quibus maximè ab hostibus Christiani nominis ex minima occasione metuenda sit periculi suspicio, in hoc regno potissimum, quod est quasi pro aliquo præsidio Christiani nominis & imperii collocatum. Hæc pluribus verbis Majestati vestræ scribimus; primùm ad removendam prætermissi officii erga Serenissimum Regem nostrum culpam, ne quis in eo nos deliquisse arbitretur. Deinde verò ut Majestatem vestram ad eam fœderum &

& pactorum confirmationem, quæ cum regno nostro intercedit, invitaremus, quemadmodum sanctè & inviolatè ea coluit, ita & nunc observare non desinat. Porrò negotium hoc omne Cæsareæ Majestati vestræ ita commendamus, ut nullum unquam magis commendare possemus: Nam ut nolumus invitum quemquam nobis imperare, ita non libenter videremus, nos tales existimari, qui nesciamus officio nostro uti, & voluntatem Principum moderare; non deest nobis animus pro dignitate & libertate nostra, quævis consilia sequendi; Sed Polonorum semper fuit, Reges & Principes suos colere, revereri, & honestis potiùs quam extremis studiis & officiis prosequi. Quod reliquum est, Nos studiaque nostra fidelia & amica Cæsareæ Majestati vestræ commendamus. Datæ Cracoviæ.

Data insuper Epistola ad Henricum;

Itane meriti sumus de sacra Majestate vestra, ut præter spem omnem & expectationem nostram, hinc discedere, nobis insciis, Regiæ Majestati vestræ placuerit? Graves impulerant causæ Majestatem vestram & induxerunt ad suscipiendum hoc tam grave & periculosum iter; sed gravius illud existimanus esse, quod sacra Majestas vestra inconsultis nobis fecerit, quasi fidem fidelium suorum dubiam faceret, neque res suas concredens illis, qui se, salutem, facultatesque suas omnes sacræ Regiæ Majestati vestræ concrediderunt. Non deerat animus, non defuit facultas ulla nobis, ad aras usque (quod dicitur) sacram Majestatem vestram sequendi; Sed neque Majestas vestra benè rem apud se examinavit, quam est aggressus, neque committere debuit, ut ultro se periculis objiceret. Precamur sacræ Majestati vestræ omnia feliciter, & ex animi sententia evenire; Sed ita tamen, ut primò illi Deus mentem inspiret, ad nos regnumque suum redeundi: ubi salva & incolumis Viennam Majestas vestra venerit, rogamus ne ulterius procedat, neve se majoribus discriminibus exponat, nec cum periculo suo majores & excellentiores honorum gradus appetat; hic enim honos in quo Majestatem vestram Deus Maximus collocavit, eo est excellentior, quo processit non à fortuna, non à sorte nascendi, sed à Divina voluntate, & proborum ac de Majestate vestrâ benemeritorum Civium judicio. Consideret Majestas vestra regnum se reliquisse planè periculis omnibus expositum, nullis pactorum ac fœderum renovationibus confirmatum. Nisi Dominus custodierit, actum est de nobis. Nulla nobis diligentia, nulla prudentia proderit, nil enim sine Majestatis vestræ præsentiâ firmum & stabile statuere possumus. Petimus igitur sacram

cram Majestatem vestram, ut memor sit fidei suæ, juramentique regno præstiti, memor expectationis, quam semel de Majestate vestra conceptam, eoúsque retinemus, memor ad extremum salutis & incolumitatis nostræ, quam Deus Maximus Majestatis vestræ fidei & potestati commisit. Nos si deseret Majestas vestra, vindicabit Deus injuriam populi sui, neque fortunabit Majestatis vestræ actiones, nostris malis & periculis fortè gravatas. Si hoc impetramus à Majestate vestra, dabimus operam, ut in redeundo omne studium, & operam Majestati vestræ comprobemus. Deum interim rogamus, ut sacram Regiam Majestatem vestram salvam & incolumem accipiamus; Cui obsequia subjectionemque nostram summa cum fidelitate commendamus.

Vixdum abierat cum hisce litteris emissarius, allatæ sunt Viennâ ab Henrico literæ.

Ex literis, quas Cracoviâ discedens ad vos scripsimus, satis intelligere potuistis, gravissimas & justissimas causas, propter quas non modo festinanter, verum etiam tacitè Gallicum iter suscipere coacti sumus: quod si satis commode literæ illæ vobis redditæ fuissent, non dubitamus, quin nonnulli è vobis, pro ipsorum in rebus

humanis

humanis prudentiâ & sapientiâ singulari, abstinuissent ab ea sedulitate & officio, quod neque opportunum erat, neque studio nostro consentaneum, ac difficiliorem periculosioremque, totius itineris nostri rationem poterat efficere. Verum cum errati illius causa partim ex abundantia amoris profecta esse videbatur, partim eorum negligentiæ adscribi posit, quibus literas nostras reddendas commiseramus, nolumus expostulare vobiscum de ea re vehementiùs, satisque esse arbitramur hoc rursus vobis testari; Profectionem scilicet nostram in Galliam omnino necessariam fuisse, nec publicari sine periculo nostro, aut diutius differri potuisse, sine magno malo regni illius amplissimi, cujus salus nobis carissima. Quod verò attinet ad reditum nostrum in Poloniam, de eo dum recti quidquam statuere aut polliceri possimus, præsertim cum ad Gallicorum negotiorum rationem, ad quæ animum adjecimus, & ejus causa iter suscepimus, omnis ista deliberatio sit referenda. Nuper autem in ipso itinere, cum de reditu nostro nobiscum ageret multis verbis Magnificus Castellanus Voinicensis, Succamerarius noster, nil ei præter ea respondimus, quàm nos de ea re in Gallia deliberaturos. Cupere nos tamen vehementer interea, ut quamprimum ex Senatus & Equestris Ordinis sententia, viri sapien-

X *tes*

tes & prudentes ad nos Legati in Galliam mittantur, cum amplissimis mandatis de rebus omnibus, quæ ad securitatem, & dignitatem Regni nostri Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ pertinere videantur. Nos hujusmodi Legatos à vobis libenter & humaniter excipiemus, & cum ipsis curabimus aliquam rationem inire, qua occurri possit illis malis & incommodis, quæ ex diuturnitate fortasse absentiæ nostræ oriri posse viderentur. Cæterum antequam hîc Vienna discedemus, Cæsareæ Majestati, (à qua splendidissimè & humaniter excepti sumus) Poloniæ Regnum nostrum vosque omnes commendabimus. Scripsimus etiam ad Imperatorem Turcarum, ne quid inde damni & periculi ad vos perveniat. Denique nullam de regno & vobis omnibus occasionem prætermittemus. Benè valete.

Ipsa se res insinuat, faciliorem & explicatiorem reddi narrationem Historicam, si suo quæque sensu & verbis subjiciantur, prout dicta scriptave sunt. Neque ego cum ambitu lectorum Gloriam aucupor, meò quæque vendicando stylo, sed (vera calendi) anteposui conscientiam aliena narrando. Pleraque ex nativo sensu & verbis posse colligi, affectus hominum notari prout intendantur, aut re-mit-

mittant, quæ omnia amat plerumque involvere verbosa rerum explicatio, magis quam explicare, injuriam hominum rebus gestis inferens, & lectorum (hac vel de illa gente aut persona) recto judicio non leviter subtrahens. Hîc me paululum immorari oportet, quomodo Henricus Viennam venerit, quæ cum Imperatore collocutus, demum qualia Cardinalis Hosii Senatoris Poloni Legato responsa dederit. Ac primum Rex Cracoviâ egressus, consultum habuit occultè ditionem Imperatoris ipsamque Viennam transire; Periculosum namque credidit ab alienæ terræ populo noscitari, (ac forsan retardari,) qui secum tantorum Imperiorum veheret Majestatem & salutem. Sed quia discessus ejus Germanis innotuerat, ac per hos Imperatori, præter animi mentem, novo consilio rem aggredi debuit, misso præcursore ad Imperatorem Maximilianum. Quatenus sibi condonare vellet, (sollicitans) ditionum suarum ingressum, ac si videretur, se velle Viennam venire. Humanissime ad ea respondit Imperator: Non permittere se modo ingressum, verum optare etiam, ut præ-

 sens

ſens in tanti Regis & hoſpitis amplexus ire poſſet. Tum nunciatum Imperatori, Henricum paucis Vienna abeſſe milliaribus. Duos ille juniores filiorum ad tertium ab urbe lapidem ire juſſit obviam, ac ipſe Principe dignam humanitatem retinens, cum primariis viris ad pontem Danubii majorem tantum hoſpitem receptaturus proceſſit: adventantem amplexatus rectà in Palatium duxit. Multa inibi Viennæ ſecretiùs cum Imperatore collocutus Henricus, cum perhonorificâ Polonæ gentis ubique mentione. quod opportunum erat ad retinendam authoritatem populi, per ipſummet Regem excuſari, in quem peccaſſe culpabatur. Jactabatur enim per Germaniam, Polonos aut ſuum Regem expuliſſe, aut planè cauſam clandeſtini diſceſſus dediſſe. Verum non opportuit Henricum diutius Viennæ morari: Otiùs Venetias properavit. Obvium ibi reperit Legatum Cardinalis Hoſii Epiſcopi Varmienſis & Senatoris Poloni, Roma ad ſe miſſum. Quis ille verò fuerit Hoſius, obiter explanabo. Plebejo Polonorum ortus ſanguine, cum artibus liberalioribus pro naturæ

turæ meliori genio, felicius ſuam erudiret juventam, altiorem, quam Plebejus ſperaret ſanguis, ſpectare cœpit lucem & Fortunam, Romam ideo perficiendis artibus diſceſſit, inde pro honeſtiori indole Cardinalium irrepſit notitiæ, mox per doctrinam familiaritati, tum per palatium Pontificis increbuit fama virtutum Hoſii, jam Prælatus, jam Cardinalis à Pontifice creatur; Poſt hæc moriente in Polonia (menſe Pontificio) Epiſcopo Varmienſi, contulit Pontifex eundem Epiſcopatum Hoſio, licet Republica primùm ægrè ferente, quod ad Plebejum deferretur Epiſcopatus, ac proinde Senatoria dignitas, quæ titulum infulæ, (noſtro more) ſequitur. Sed vicit poſtea virtus Hoſii, ut illuſtraret ſanguinis plebeji obſcuritatem; Verum Romæ maximè valuit: mortuo enim Pontifice, multorum Cardinalium voto Pontifex expetitus; prævaluit tamen primum invidia, mox calculus aliquorum Italorum & Hiſpanorum, in remotum alienigenam deferri ſacram purpuram indignantibus; Verus tamen ille virtute fuit Papa, quia dignus judi-

dicatus. Hujus ergo Cardinalis Hoſii, (qui tum Romæ degebat, ratio legationis erat, quæ ſequitur.

Poſt præſtita ea, quæ debentur officia, decet. Cardinalem libenter ad ſuam Majeſtatem ipſum venturum fuiſſe, ut tam ea, quæ ſunt officii coram præſtaret, quam neceſſaria quædam de Patriæ ſalute conferret, verum ætatem ingraveſcentem & valetudinem imbecillam, ac anni tempus incommodum fuiſſe impedimento, quominùs, quod ſummo ſtudio deſideraret, perficere poſſet. Quamobrem ſe juſſum eſſe, qui hoc munere nomine ſuo fungeretur. Eſſe Cardinalem valdè anxio & perplexo animo, neque ſtatuere ſatis poſſe, num gratulari debeat Majeſtati veſtræ, quæ ad aviti Regni ſui gubernacula capeſſenda tanto ſit conſenſu omnium vocata, an verò Patriæ ſuæ potius infelicitatem deploret, quæ qualem Regem longo tempore ſupplicibus votis, à Deo dari ſibi petierit, & obtinuerit, nunc eo propemodum orbari videtur; Multa quidem ſecum omnino revolvit pericula, quibus ne regnum, quod eſt à Majeſtate tua deſertum obruatur, metuendum eſſe videt, præcipuè cum quo in ſtatu regnum illud reliquerit exploratum non habeat: nam varii rumores perferuntur, quos tamen magnâ ex parte veros eſſe perſuaſum habet. Cupiviſſet quidem Cardinalis ne diſceſſiſſet è Regno Majeſtas veſtra, niſi prius rebus in eo benè diſpoſitis & collocatis, in tuto, ſed ſi vicit amor Patriæ, ſi dulce deſiderium illius tantum potuit, ut omnium aliarum rerum eum oblivisci faceret: ferendum eſt, quod mutari non poteſt, & aliquid amori Patriæ concedendum. Verum ille interea à Majeſtate veſtra ſupplex petit, ſic ut patriæ ſuæ rationibus ſuccurrendum velit, ne etiam regnum illud, ad cujus gubernacula prius fuit vocata, prorſus deſeruiſſe, & omnem illius curam abjeciſſe videatur. Memineris, ô Rex, quod nos quoque ſumus populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, ne velis ita derelictum gregem tuum, à Chriſto fidei tuæ concreditum, ut præda fiat lupis; aliquam curarum tuarum partem etiam ad tuendum illum atque conſervandum derivato. Cujus rei quæ ratio poſſet iniri à Majeſtate tua, quæ cum præſens nuper in regno illo fuerit, ſtatum illius præſentem habere melius perſpectum debet, notiùs eſſe poteſt quam ipſi Cardinali, qui jam quintum annum à patria ſua abeſt. Cui cum aliter fieri non poſſe videatur, ſupplicibus votis miſericordiam Divinam implorabit, ut ſalubriora conſilia Majeſtati veſtræ ſuggerat; ut illius iter hoc ſecundet, ut rebus in patria ſua tranquillatis, & in meliore ſtatu collocatis, ad regnum Poloniæ incolumis redeat, & aut perſeveret in

in illo deinceps, ut illud suâ præsentiâ prudentiâque gubernet, aut si rationes hoc illius non ferent, saltim providere pro virili suo conetur, ut illud in tuto atque tranquillo collocare possit. Interim autem dum abest Majestas tua, quandoquidem aliter fieri non potest, designet aliquem, cujus authoritati, quoad absens fuerit, cuncti parere teneantur, ut si nullus fuerit in regno gubernator, magnum aliquod illi regno naufragium sit metuendum. Quod si quæsierit Rex, quem censeret Cardinalis Gubernatorem interea constituendum? Respondebit: Ex Patriæ legibus Archiepiscopum esse debere: Quæ sit autem hujus authoritas? quis status valetudinis? Majestatem illius scire melius posse. Non dubitare Cardinalem, quin jam in regno Comitia sint congregata, quamobrem illi videri, ne statuat aliquid, nisi re prius ad illa delata, in quam illi sententiam unanimes convenerint, quoad fides & religio patiatur, sequatur. Hoc tantum supplex petit Cardinalis, ne quem hæreticum ad regni gubernandi societatem admittat. Spem regni consiliariis faciat celerioris ad illos reditus, ut interim quàm possint viam tutiorem inveniant, qua illius tranquillitati prospicere possint. Tractabit postea de Serenissima Principe, sorore Sigismundi Augusti mortui, commendabit illam diligenter Majestati Regiæ; quibus injuriis af-

ficiatur in regno Neapolitano, quemadmodum toto biennio census pecuniæ Serenissimæ Matris ejus emptus, illi fuerit hactenus negatus, pluribus verbis explicabit; Rogabit ut illam literis suis commendet Regi Catholico, fidemque faciat eam & ab intestato (quandoquidem filia est Serenissimorum, Sigismundi Primi, & Bonæ Reginæ, Soror autem Sigismundi Secundi Poloniæ Regum,) & ex testamento, quod vidit Majestas ejus una cum reliquis duabus Sororibus hæredem esse, nulla ut sit causa, cur pecuniæ solutio diutiùs differatur; fortassis autem non abs re fuerit, si rationes à Majestate Regia conscribi poterint, quamobrem de testamento, nil hactenus fuerit ab illa constitutum.

Responsum Regis,

Salutatio hæc Illustrissimi Cardinalis Hosii, valdè mihi grata accidit, quod videam sanctum istum virum tantam de mea valetudine ac dignitate curam gerere, quod de me rebusque meis tam sæpè fieri cupiat certior. Est non vulgare indicium studii & amicissimæ voluntatis, quam gerit erga me, quo ego nomine etsi dudum hunc virum amare cœperim, propter pietatem & admirabilem doctrinam suam, quam in Orbe toto prædicari audio, tamen quo sæpius de illo verba facio, vel in illius memoriam incurro, magis inflammor erga virum istum singulari quodam

dam studio, & cum admiratione quadam revereor, præclaras viri virtutes, consiliorum gravitatem, judicii maturitatem, ac vitæ innocentiam, nullis unquam sordibus contaminatam. Maximasque illi ago gratias, quod nunc quoque, quam præclara sit illius erga me voluntas, per vestram Personam mihi declarari voluit; ac nil ego quoque magis desiderarem, quàm præsentem illam faciem venerandam intueri, sermoneque illo prudentiæ pleno recreari, & in rebus meis dubiis instrui, sed nolo tamen, ut incommodet valetudinem suam, quæ utilior est universæ Reipublicæ Christianæ, quàm ista officia, quæ inter præsentes communicari possent, conservarique omni curâ & diligentiâ debet potiùs, quàm labore supervacaneo ad exitum compelli. Non est quod se excuset apud me; abundè satisfactum est, quod vos miserit ad me, ex quo certum nuntium de illius valetudine accipere, deque consiliis ejus, tum ille de hac mea profectione fieri potest certior. De meo ex regno Poloniæ discessu multa circumferri non dubito, facile existimabit pro sua prudentia Illustrissimus Cardinalis, quantum dare fidei debeat rumoribus. Ego, quod ita discessi, sanè coactus fui, retuli tamen priùs de fratris mei morte ad præsentes Cracoviæ Senatores, sed illi, nisi in Comitiis, nihil à se rectè statui posse dicebant. Interim à Regina Matre

tre mea superveniebant literæ, quibus me obtestatur, ut si Patriam meam regnumque illud salvum esse vellem, volare, si posset fieri, in Gallias; Versari magno in periculo regnum illud, & in mea præsentia sita esse omnia. Itaque coactus ista necessitate discedendi, consilium cepi, ut famam adventus mei præverterem ipse, ut omnes inimicorum insidias præoccuparem. Sed ne dubitet illustrissimus Cardinalis de meo erga Regnum Poloniæ studio, ac præclara gratificandi illi voluntate, ita mihi cordi sunt regni mei Poloniæ rationes, ut æque me afficiant quàm Gallicæ, quæ etsi Patria mea est, tamen humanitatem majorem, & amorem erga me vix posse videtur declarare, quam Domini Poloni declarârunt, qui me liberis vocibus, cum alium possent, elegerunt. Quibus tantum debere me sentio, ut pro illorum salute dignitateque regnum Galliæ velim cuivis periculo objicere. Nec alio certe nomine mihi charior accidit hæc Gallici regni accessio, quàm quod majorem facultatem habiturus esse video, gratificandi Poloniæ regno. In hoc dubitare non debent Poloni, quoad vivam, vivet ejus beneficii memoria in animo meo. Non puto autem periculum aliquod regno Poloniæ ex hoc discessu meo impendere, cum undique tranquilla videam omnia. Scripsi jam aliquoties Senatoribus quoad facto opus judicarem, accepi etiam inde lite-

literas postea, quod res illius Regni quietæ sunt. Sed ego verè aliter facere non potui, nisi regnum meum Galliæ pessum ire vellem. Nec est quod tantopere mirentur plurimi, si Gallis patriæque meæ & regno paterno succurro. Poloniæ non nocui meo discessu, tamen ego non dubito multa dici aut scribi de hoc meo facto. Quod consilium attinet Illustrißimi Cardinalis, ut mittam aliquem virum gravem ad regni negotia. Jam isthic reliqui duos viros graves, qui meo nomine agent nonnulla cum Senatu; Spero etiam quod ad me mittet magnus Senatus Oratores suos, cum quibus aliquid certi de regni Poloniæ rationibus, constituere poßim, quod me verò ad reditum in Poloniam adhortatur, fecit pro amore in Patriam suo, cæterum ego quidquam possum vel statuere in hoc tempore, vel etiam promittere, videbo quid fiat in Paterno regno meo Galliæ, postea maturo consilio deliberatio suscipietur. Interim tamen pro eo uti debeo, ad omnes partes invigilabo, ne quid per absentiam mei detrimenti Polonia patiatur. De Gubernatore constituendo priùs me non posse decernere, quàm Oratores ex Polonia venerint; interim autem mihi illustrißimus Cardinalis perscribat diligenter, quodcunque illi de rebus consiliisque Polonicis in mentem venerit; majore me beneficio obligare sibi non potest: nam cum is vir omnes ætatis suæ partes in

in timore Dei, defensioneque Ecclesiæ converterit, scio quod ab eo nisi salubria consilia proficisci possunt. Cujus actiones omnes & labores, etiam cum tanto fructu moderatus est Spiritus Sanctus, ut me hoc etiam nomine felicem existimem, quod in rebus arduis habeam, à quo recta & explicata consilia expectemus. Scio quos nobis fructus in Gallia pepererint lucubrationes illius, plusquam arma in convertendis hæreticis potuerunt, &, ut ego longè ante virum istum amarem, effecerunt: Nunc autem tanto magis illum amo, cum quæ sit illiùs erga patriam suam solicitudo & erga me dignitatemque meam studium, prospicio. Vivet istius tam præclaræ voluntatis memoria in animo meo, & in omnes occasiones invigilabo, ut iste tantus vir intelligat, me gratam hujus memoriam conservare velle. Quod ad Serenißimam Principem attinet, facturum me libentissime omnia, quæ pro illius dignitate & commodis Illustrissimus Cardinalis cuperet, daturum me literas ad Catholicum Regem, nam & legisse me testamentum Sigismundi Regis, & rectè perspectum habere, quod ad illam bona Sigismundi Regis Neapolitana jure pertineant: Cum præsertim pietatem illius, moresque virginis laudatissimos cognoverim ac dignam judicem, quam omnes tueantur ac defendant. Me quoque opera studioque meo, nunquam ejus negotiis deesse velle. Tibi etiam

etiam (inquit) gratias ago, quod iſtum laborem ad me veniendi tam libenter ſuſceperis, cœpi tibi jam in Polonia dare quandam gratiæ meæ teſtificationem, qua de re volui, ut te certiorem faceret dominus Vice-Cancellarius. Plus pro tempore præſtitiſſem, quin & in Gallia non ſunt occaſiones defuturæ tibi benefaciendi.

Non diu Henricus moratus Venetiis, Pariſios rectà flexit iter. Sed relinquamus tantiſper Henricum in Francia, mala ſui regni procurante; videndum interea, quibus Reſpublica conſiliis, quo tutum iverit ordine. Fama, ut rebus in magnis haud taciturna, diſceſſiſſe Henricum Regem, inter Proceres latiſſimè proclamavit, præſertim cum Senatores, qui Cracovię tum aderant, ſinguli ſuis amicis Senatorii & Equeſtris Ordinis, citatim rei novitatem deferrent. Obſtupuere alii, quid facto opus eſſet repentè ignari, inter vota rem agebant; reliqui conſilio præſentiores non cunctantes Cracoviam properavêre, de Republica conſulturi, velut periti nautæ dum naufragantur, non ſtupore periculi confunduntur, ſed funes trahunt, alii vela colligunt, reliqui clavum prehendunt, cum periculo luctantur, vinci ſe vento & fluctu pertinacitèr negant. Sic profuit paratum nonnullorum conſilium Reipublicæ in diverſa ſub abſentiam Principis labanti, prę ſertim cum inſipiens vulgus, & quique audaciorum, ad interregnum volvi Rempublicam, falsò crederent, (aut quod licentiæ incitamentum eſt) ſtudioſius vellent. Concivit rei fama permultos Ordinum Cracoviam, petunt referri ſibi à Senatu negotium regii abſceſſus: Negant illi plus ſibi conſtare, niſi quantum literæ Henrici ſuggererent. Proferunt eas in medium, tum quale reſponſum dederint ſimul enarrant; cæterum nil amplius ſciri, quàm in magno diſcrimine verſari Rempublicam, tantum ſe in præſens lætari cæterorum propero adventu, (erat ea dies undecima, poſt diſceſſum Henrici,) quatenus ſecum conſilium Reipublicæ inire poſſent. Licet verò non adeſſet poteſtas in commune concludendi, abſente majore parte Ordinum, initia tamen haberi optima, ſi ab eo conſeſſu reliquos Ordines convocare poſſent. Ineunt mutuum conſilium; dicunt Conventus generalis diem decimam Septembris;

bris; Locum Varſaviam; De tempore conventuum provincialium, Palatini ad Equeſtrem Ordinem retulere. Scriptæ abſentibus reliquis literæ; Voluiſſe ſe negotiis Reipublicæ ſuccurrere; ſed quia non adeſſent reliqui, nec ſibi conſtitiſſe poteſtatem, quidquam concludendi, ſuadere tamen (ſi viſum foret è Republica) ut pro decima die Septembris convenirent Varſaviam: non aliter poſſe ſalvari Rempublicam, quàm ſi in Commune conſuleretur, & à Conventus authoritate Legati in Galliam mitterentur; Inducias cum Moſchis ad datum terminum decurrere, à Turcarum Principe cum ſubſcriptione pactorum, nec dum rediiſſe Legatum: Tartarorum fidem in dubium vocari, undique periculum ſtrui, ni provideretur; ſignificarent otiùs, ſi conſilium ſibi placeret, vel aliud porrigerent, ſe non reluctantèr ſecuturos. Dimiſſi tabellarii cum literis; reſponſum tulere: Non diſplicere ſibi conſilium, gratiaſque haberi maximas, quod tam pio & bono ſibi præirent exemplo, nec leviter ex eo portendi diuturnitatem Reipublicæ, quæ ſic parata haberet

ret in malis conſilia. Verum Magni Ducatus Lithvaniæ Ordines, non facile aſſentiebantur, ob anguſtiam temporis & periculum à Moſchovia, ne cum ad Comitia confluunt, Moſchus interim Lithvaniam popularetur. Polonia tamen diligentiùs negotiis invigilabat, nec procraſtinatione rem agebat, milites ad præſidia limitum miſſi. Senatus & Equeſtris Ordo conſilia arripuit. Hic me ajere Oportet, quæ in Conventibus Palatinatuum acta, neve per capita enumerem in unum concludam.

Non ceſsère illi Provinciales Conventus Senatui honori, ac primum coivit in circubos nobilitas; prima erat contra Senatores querela, ex ſuſpitione indulgentiæ & aſſenſus in profectionem regiam. Ajebant alii: Reddite nobis Regem, quem in curiâ veſtra aut pravitate conſilii abeſſe paſſi eſtis, ſic ne vobis placet diſceſſus Principis? & aitis? (Ut nobis conſtat) per gubernatores Rempublicam regi poſſe? falsò ſperatis gubernatores è vobis electum iri, nemini parebimus niſi Regi. Alii haud diſparia in Optimates jactabant;

bant; En cernimus quare ea bona mensæ regiæ, contra jura patriæ, (quorum prima tutela vobis, ut patribus incubuit,) lubentes acceptastis, quas profuturas usui Regis haud credidistis, cum præsensistis absentatum iri; Credimus Henricum Regem nostrum ab eo vestræ fidei in Rempublicam argumenta sumpsisse, quâ ratione vetita acceptaretis, eadem approbaretis illicita, magnificis corrupti muneribus; neque si vos ille constantes offendisset, memores juramenti Reipublicæ præstiti, ac post amorem Reipublicæ omnia ponentes, antequam de eo negotio referretur ad Ordines, non adornasset discessum. Verum facilitas vestra illicita acceptandi, spem non vanam adstruxit multa illicita Principi tentandi, neque aliter fieri potuit, quàm factum est. Hæc eo audaciùs jactata in Senatum, quo plus fiducię dedit assentientium multitudo, & verborum, magnitudo præsentis periculi. Mala verò Rerumpublicarum prius ad eos pertinent, qui in illa minores, etiam jugulatâ libertate; Optimatibus parcitur, propter venerationem aut potentiam; minorum prima servitus

vitus est. Si quid item in hoc populo contra Rempublicam factum creditur, Equester Ordo seu indagando seu curando primus, ac pro potentia felicissimus est. Excusavit se variè in præsentia Senatus; alii literas Henrici proferebant; cæteri peccata populi & Numinis pœnam in patrocinium causæ trahebant, nec sibi debere imputari, quos æque præsentia afficerent. Ab inde versæ quærelæ Equitum in Regem. Quis unquam credidisset (loquebantur passim) hunc Principem, quem magnæ virtutis ergò Regem creavimus, cujus prudentia genti placuit, mores arrisêre, neque alium quam nostrum esse fatebantur, tam derepente se à nobis proripuisse. Quem ni aliud retardare potuit, certè nostrę humanitatis gratitudo, cui tam amplum regnum non coacti, sed spontè (aut quod summum & Divinę voluntatis decretum est,) inter tot millia eligentium, nemine contradicente, obtulimus, cui nostras fortunas & vitam promptè dicavimus. Eoque gravior nobis hæc profectio accessit, cum Rempublicam hanc ullo præscripto Ordine, velut fluctuantem navem sinè anchora sive clavo

clavo naufragari videmus. Nunc certè patres filiis, filii parentibus, vicini vicinis diffidere discimus, si tanti Principis fides, non verbis prolata, non scripto firmata, sed juramento obligata, in dubium vocatur. Siccine tutelarem curam deserti populi sentimus? jamne hæc Polonia, quæ dignitatem suam hucusque constanter retinuit, Regem amisisse cum cachinno nominabitur? sic per molles querelas alii, reliqui ad asperitatem sermonis rem declinavere. Ecquę sunt illæ querimonię, (ajebant,) justene doleamus eum Regem abiisse, qui nos reliquisse non doluit, in dubio est. Importuna Populi temeritas sit, velle ab eo regi, qui sibi omninò nolit imperare. Deseruit Regnum Rex, deseratur ille à regno, ni hanc Rempublicam datam illi ab eligente populo credimus, non illum Reipublicæ. Sat sufficit ad æstimationem virtutis Polonę, deseruisse non à nobis, sed profectum ab Henrico. Nec operę pretium est expectare, ut qui semel abiit abeat sæpius, cum tanto nostrûm capitum periculo. Malè agitur cum hac Republica, si nostri Imperatores, non se totos deberi nostris negotiis cre-

credunt, atque diviso inter duo regna amore, divisa opera atque ideo infirma succurrunt. Ajunt plerique Senatorum: Multum accessisse huic regno cum purpura Gallica, Henrici hæc fortuna non nostra est: imò decora hæc sunt magis quam utilia; scilicet vires Galliæ à nobis dissitæ, huic regno succurrent; Habet Gallia sua quoque pericula; adsunt intestina rei mala, Civiles motus sperantur, pestis regnorum, suismet auxiliis sustentetur Gallia oportet. Etsi certè nihil periculi adsit, vel ad avertenda futura mala, & nefariorum ausus deterrendos, domesticas vires domi tenere opus habet. Nobis item salubrius est, propriis sustentari viribus, inter auxiliares etiam victores, post victoriam de spolio quæstio, & periculum restat. Jam verò, quod maximum, utilius est eum Regem habere, qui absque nobis aut dives, aut fortis esse, atque ideo etiam iratus nocere non possit. Qui verò spe hæreditariarum Opum nituntur, liberis populis graves, vel quia per flagitia dominaturis, spes restat in suo considendi, si adest necessitas; tum quia ligari legibus gravatè se-

ferunt, cum domi didicêre regnare abſoluti. Quæ omnia in Henrico, vel hic tam promptus diſceſſus ad ſua apertè docet. Cur enim magis aliena quàm ſua tueatur? Diſceſſit Henricus; acerbum ne eſt? Sit ſane; nec tamen regno periculoſum, cum ad electionem novi Regis deſcenderimus. In Henrico mores à nobis alieni, lingua, habitus, omnia diverſa; demum non noſtrum amiſimus, nec quare periclitemur, videmus. Tum primum periculum aderit, ſi Regis opperiemur reditum; Reſpublica interim ſub Gubernatoribus habebitur; quæ via? quis modus hujus regiminis? ignoratur: at exitus in aperto, ruina primum æqualitatis, poſtea libertatis. Itum fuiſſet in ſententiam & ſuffragia novi Regis, ni aliquorum obſtitiſſet authoritas, imò (quod maximum & juxta libertatem populi valet) ratio; eorum præſertim, quibus vel cunctatio pro prudentia tum erat, vel media prius adhibendi, quàm extrema tentandi, medendarum rerum probatiſſima medicina. Hi verò eum in modum ſentiebant.

Nunc primùm timor ad nos accedit, qui ti-

timendum eouſque haud credidimus. Hodie multum poteſtatis in hanc Rempublicam caſui & cuivis periculo concedi, qui ſimul eo conſilii veſtras ſententias inclinari videmus. Et quid eſt illud dicere? tam derepente Henricum amovendum Regno? quàm gentium fidem violandam, populi authoritatem perpendendam, demum ipſam periculo parare Rempublicam. Diſceſſit è regno Henricus, peccatum eſt, verùm non neglectio purpuræ: nobis non valedixiſſe; neceſſitas, non tamen noſtri contemptus. Atque ideo, regnum illi eripere inhumanitas eſt, aut ſi eripiendum, ſaltem ad authoritatem hujus populi, ad opinionem gentium hæc facienda & perficienda; etiam extrema conſilia aut quaſi deſperata pompâ ſuâ nituntur & prætextibus, quò magis imponatur authoritas conſilio, ut cauſæ paretur prætextus. Si verò unquam, in hoc negotio præſertim, cunctatione nobis opus eſt, ut totum orbem in teſtimonium trahamus, Henrici cauſa regimen Reipublicæ in alium transferri: Verùm ſi præcipitanter ad rem acceſſerimus, fruſtra juſtitiam pro noſtris conſiliis ſtare præſumemus;

memus; proclive enim eſt, ut illubenter populi ferant Imperantes, qui citò mutant, & injuſtè, qui præcipitantur. Etiam qui flagitiis amant pollui cum proæmio rem aggrediuntur. quid nos facere oportet? qui tam piam & juſtam mutandi Regis (ut aitis,) habemus cauſam. Mittendi utique ſunt in Galliam Legati, qui mentem Henrici aperiant, fidelitatem noſtram coram confirment, modo ille regimen. Vel ſi gravius in hoc periculo agere oportet, requiratur tempus ſui regreſſus: niſi hoc obtinetur, definiatur illud à Republica. Ni intra duos tresve menſes adfuerit, cogi populum Polonum novę electionis, non poſſe regimen ſubſiſtere ſine rectore, nec præſentia periculorum remedia haberi, abſente medico. Ea via dignitas Reipublicæ parabitur, nec demetur conſilio noſtro gravitas, aliter ſuadere hoſtile eſto. Fateamur neceſſe eſt, Henricum non ſat probe, inconſultis nobis, profectionis conſilia arripuiſſe, ideoque nos pejora facere debemus, & neſcio populi Imperatore, regimen alteri tradere? Abſit ea mens quæſo à vobis: Doceamus nos causâ Henrici potius pelli, quàm

quàm ſponte abire in nova interregna. Docemus verò, ſi in Henricum cauſam mutandi rectoris transferemus, in nos neceſſitatem alterius quærendi, tantumque cauſæ noſtræ accedet juſtitię, quantum illius culpę. Demantur oportet ſpetioſi prætextus: nos velut rebellem populum in facie Orbis traducendi aut forſan aggrediendi, totius Occidentis Principibus in nos mutuata auxilia conferentibus. Omnium Principum, etiam Barbarorum, hoc in negotio verſatur authoritas, qui æquè ſuorum populorum deteſtantur ac puniunt motus importunos, ac exemplum eorum illubenter notant in cæteris: quia verò bona malave exempla in hominibus pro allegatis cauſarum ſerviunt, à ſuis expectant, quod alteri factum. Cavent ideo diligentius, ut cuique Principi conſtet ſua fides, authoritas & obedientia apud ſubjectum populum: Jam verò quod maximum in ſummo ponenda eſt ira numinis à quo omnis pullulat poteſtas; neve dubitetur, Unctos Deus habere voluit imperantes, qui velut terreni Dii terræ imperarent, item ſubjecta terra veluti ſuos Deos ſeu Dei vicarios

 eos

eos veneraretur & revereretur. Quæ verò ea reverentia fovet Principem, pro libitu auferre ſceptra, ni dixerimus inſolenter? ut quem non opportunè jam amoveremus regno, reſtaret recipiendi neceſſitas, pro quo Princeps Principum, tum hi certaturi, ni gravius quid conſilia noſtra proferant. Sufficiunt hæc de cauſæ & conſilii authoritate; quę ſalutem Reipublicæ ſpectant, videte: Majori ſumptu ac periculo novus quæretur Rex, quàm hic retinetur. Novum quærimus? Henricus inimicus, retinemus? nemo hoſtis, quem quæſivimus: Nullum, imò difficulter inventuri ſumus Principem, cum tam facile demimus imperium. Aimus præterea Henricum linguam Polonam ignorare, moribus alienis vivere? noſter omninò error eſt, cum talem regnaturum elegimus; ſera poſt erratum recollectio. Verùm quâ ratione de novi Regis electione diſceptamus? non ea certè in Henrico ſperatur inconſtantia, ut jam imperare, jam deſerere nos velit. Ineſt illi verè regia mens & animus, qui ut plurimis populis præſit ſemper anguſtos fines habet, & latiores quæritat. Neque hic

hic repentinus in Gallię regnum diſceſſus aliud nos docet, ni vitio habeamus, plura aliquem velle ſub unius purpuræ Majeſtatem trahere regna, cum facile poſſit. Magnanimitas ea eſt, non culpa. Hunc regem optare, non deteſtari debemus: major indies evaſurus, qui maxima animo ſuo pollicetur, & minor, qui non major fieri cupit. Moram præterea abſentię nonnulli verentur. Fatemur eam periculoſam eſſe, ſi diuturna, at cur diuturna futura? ignoramus. Non aliud illi in Gallia ſubeſt negotii, quàm ut illi populi ſuum Regem agnoſcant; cæterum ut Rex uti Monarcha, pro libitu per adminiſtros res modo habetur, noſtris negotiis adfuturus, quæ præſente Rege opus habent. Nihil jam reſtat. quàm ut Legati otiùs eant, diligentiùs nomine Reipublicæ expoſtulent, eoque facilius ad nos repetet, cum viderit eam conſtantiam populi, ac avidius viſendos cupiet, quem avidius ſibi repetunt, ac dum poſſunt alium quærere, ſe tamen retinere malunt. Cum applauſu Nobilitatis in circulis recepta hæc ſententia, datum ideo negotium Oratoribus, ad Comitia (nomine provinciarum)

 dele-

delegatis, quatenus à tota Republica eadem peterent. Diſceptatum poſtea de publica ſecuritate: opportunum erat, confœderationis (ad ſpeciem interregni) objicere metum. Hujus vigore imperatum per Palatinatus ſummarium tribunal (*Captur* vulgò dictum abſque provocatione) ſub interregnum tantum validum, lecti in judices è validiori nobilitate, qui cauſas injuriarum cognoſcerent, decreta proferrent, vitæ neciſque poteſtatem haberent, nequis audaciorum abſentiâ regis in ſcelus uteretur. Verùm quia in eo Reipublicę ſumma ſecuritas volvebatur, ut arma pararentur, firma præſidia limitum, tutum providere quique ſibi Palatinatus. Publicum luſtrum inſuper, quod eſt reliquum armorum, ſtipulata manu ſibi ſpopondere, cum probè ſcirent, primum conſilium de Republica, & maximum ab armis eſſe, cætera utique diſſimulari; in his unicam ſalutem, efficaciſſimam tutelam, ac fortiſſimum parari conſilium. Solutis conventiculis diſceſſere quique in ſua rura & Caſtella, partim ſe luſtro paraturi, partim publicis comitiis. Rarius enim hic urbes in-

incolunt Equites, & in commune vocati viſitant potius, quàm inhabitant, campo & apertis aſſueti; Inde rariora ex contagione communi, odia, flagitia, & (quod ex raritate ſequitur,) tumultus & factio; crebrior verò virtus & pietas. Vita quidem magis ſolitaria & in ſe contracta eſt, ſed pura, quieta, procul à Cenſore, &, ſi altius perpenderis, beata. Et hæc obiter; Quæ omnia cum ego ſcripto percurrere cupio, incidit mentio belli Valachici ſub idem tempus geſti, contra Turcarum Imperatorem, per Juanum Palatinum Valachiæ; Non quidem ego amo ſcribendo hæc geſta populi Poloni, in aliena curioſus incurrere, & peregrinari narratione, verùm quia hujus belli ſumma Polonorum virtute tranſacta, æquiùs eſt illud bellum narrare quàm ſilentio præterire.

Chriſtianis Europæ Principibus pro ratione imperii virtus eſt; Barbaris verò, ac Turcarum præſertim Imperatoribus, flagitium dominationis. Nihil virtutis honoribus inibi relictum, cujus officium nummi in ſe traxère, quanto quis largiendo promptior

 (licet

(licet cætera desint) tantò præ cæteris propior. Neque hi emptis auro honoribus dudum beati; non mensis aut annus tempora Magistratus sunt, sed quantum temporis largior profusio successoris indulserit. Ea ratione Ivoniam, (quem alii aut Ivanum lingua Roxolana, aut (quod est) Joannem appellant) à Selymo Turcarum Principe nuper Palatinum Valachiæ designatum, Palatini itidem Transalpinæ Valachiæ, (seu superioris) ambitus apud eundem Selymum subvertit. Sollicitabat admodum Transalpinum (ut hoc nomine post hac utamur) fortuna Petri fratris sui, vel ut veriùs rem perpendo, satiùs eum extra habere ducebat, quàm iisdem penatibus tenere, qui suam fortunam avidius suspiceret, propriam detestaretur. Inde suspicabatur dolum, ne postposito fratris amore, principatus cupidine, Princeps esse mallet, quàm Principis frater. Hæc negotium Palatino Transalpinę Valachię facessebant, quatenus alicujus provinciæ præfecturam pro Petro fratre aucupari posset. Nec alia offerebatur occasio, quàm ut Ivoniam recenter gubernationi Valachiæ admotum, ne-

neque diutinâ loci possessione in jus gubernationis versa fultum, quæstibus in aula Turcarum Principis aggrederetur, auro præfecturam emeret, & ultra pollicitationibus, avaras Tyranni spes ditaret; subdidit præterea perficiendi negotii spem, ejusdem Ivoniæ ad principatum Valachiæ via, cum non alia fuisset, præter illustria munera, largiendi spes, tum mille verborum blandimenta; ut plerumque Oratione dites quibus obtinendi necessitas. Qui verò Ivonia fuerit recitare opus; Roxolanum fuisse nonnulli certò certiùs affirmant, ignota stirpe ortum, sed corpore decorum, robore fortem, animo magnam: is primâ ætate in Valachiam se contulit, inde ad Turcas. Quorum ut animos sibi pararet, circumcidi Machometanum in modum passus, amplę post mercaturę negotiationem suscepit: (uti mercaturæ genus apud Turcas non ignobile) non grave fuit ea ratione in notitiam Principum curię, (ubi pręsertim accessit largitio,) irrepere; Ea purpuratorum familiaritas, uti cætera curię secretæ, sic illi suggessit consilium Selymi, de imperio Valachię à Bogdano (qui à Zboro-

Zborovii milite ſaucius in Polonia decumbebat) in alium transferendo. Tentat proinde fortunam, non dubius magnam quandoque evenire, qui eam quæritarent, qui negligerent ullam; purpuratorum notitiâ in fortunam utitur. Hi authoritatem ſuam apud Selymum interponunt, ad Ivoniam Valachiæ principatum Selymi juſſu deferunt. Iis gradibus Ivonia Palatinatum inferioris Valachiæ brevi obtinuit, brevi amiſſurus, ludente ſuis muneribus aut ſuperbiente fortunâ, ne cum nimium ſerviverit quærat, non quæratur. Sic Ivonia acceptâ ſub Imperium Valachia juramentum à Capitibus Valaciæ popoſcit & accepit, quos ſibi è Valachis adverſari vidit, (obices dominationis) pręſertim propinquos ſuperſtitis Bogdani pleroſque trucidat, ſuæ verò fortunæ cultores è Chriſtianis amicos ſibi parat, imò ipſe Chriſtianus iterum fit, quo verò plus ſuæ dominationi deberent, nec deſererent, quàm ſuo damno, largius è publico ditat, plura munimenta & fulcra imperii in pluribus quæſivit amicis. Hęc omnia à Tranſalpino in vitium & occaſionem accuſationis accepta. Mittit ocius Conſtan-

ſtantinopolim literas ad Primores Turcicæ curię; Petrum fratrem duplo majus tributum daturum pollicetur, (cum Ivonia LX millia nummûm aureorum daret) neque ea ſui commodi aut ambitus cauſa, ſed pro commodis & fide ſui Imperatoris. Multa per ſe notari ſuper hæc in Ivonia malæ fidei exempla, qui religione Machometana ſpreta, ſecundo Chriſtianam ſuſciperet, malam inde in Turcas, maximam in Chriſtianos fidem, foreque brevi, ut exemplum Bogdani ſecutus, ad amicitiam Polonorum ſe conferret, quæ inimiciſſima Turcarum Imperio gens nec ſegniùs auxilia confert adverſa bellaturis, quam illi quibus opus eſt otius petunt, Movit avaritiam purpuratorum, tum indignationem tam ſubita Ivoniæ in fide Machometana converſio; proclive credidêre, ut ſectatores ſperneret, quorum ſectam repudiaſſet; Referunt ea Tyranno, petunt pro Petro, ſuadent & perſuadent ut miſſa legatione, Ivoniam ad ſe venire mandaret, & Valachico privaret Principatu. Venit ad Ivoniam Legatus, mandata refert, Ut potiora eligat proponit; Vel tributum (inquit) duplo majus in Impera-

peratoris ærarium inferas, vel si renuis, cede loco, otius mecum Constantinopolim ad causam dicendam proficiscere; ni sponte sequeris, ire te coactum oportebit: At tibi legatus suaserim, dicto Imperatoris pareas, obtemperanti Principatus demetur, renuenti vita. Non magnitudo Orationis, verùm rei movit animum Ivoniæ, perculsus improvisa legatione colligere verba non potuit, ut subita daret legato responsa. Ducere Turcam in hospitium jubet, rem esse majoris momenti inquiens, quàm ut legatio audiri simul & solvi posset; ad senatum Valachicum ea referri debere. Postquam secessit in hospitium legatus, jam trepidare Ivonia, jam dicto parere, jam contravenire anceps animi: Gentem Turcarum esse perfidam; non verbo, non scripto, non fide teneri; neque ea legatione tributum, sed suum Principatum, sed sanguinem peti, etiam tributo oblato non tutum haberi regimen, majora semper expostulaturum Turcam, si pro arbitrio majora obtineret. Convocat, Valachos, recitat coram legationem Turcicam, ac subjungit.

Ne

Ne utinam meo Principatu eam audiretis legationem Valachi, quos ego adamavi, prouti etiam debui, sic omnibus fortunis auctos, salvos & incolumes, mei etiam capitis periculo fieri optavi, nunc quàm dura fortuna vos excepit, non sine lachrymis video, vos, inquam, Valachos; quid enim mea interest? Sexagintane nummûm aureorum millia (prouti hucusque contulistis) an duplum tantum vel quadruplum tributi nomine à me petat Imperator meus ac vester, vobis liberisque vestris pendendum est, meis manibus porrigendum. Nec certe me à vobis abeunte (prouti avocor) ea mutabuntur jussa; quod per me negatur (si adhuc negandum censetis) ab altero cedetur. Neque ut Constantipolim abeam, mors me territat. Verum hoc gravius, quia moriente me, vobis tamen periculum restat. Cogitate an jam tutius sit grande tributum & impar facultatibus vestris negare, aut dando in majus excreturam approbare Tyrannidem; ast dando semper servi futuri, negando (quis pro fortune belli loquatur? bellandum enim certe nobis pro eo est) utrùm non liberi evasuri:

 malu-

malumus utique ambiguam libertatem, quàm certam ſervitutem; ſed cur bellum timeamus, Chriſtiani ſumus, Deum cauſæ habituri vindicem; rei juſtitia pro nobis ſtat, magnum victoriarum Omen, ni peccetur depulſa tyrannide. Mavultis utique in Polonorum vos vindicare dominium, quorum clientes nos Palatini Valachiæ dudum fuimus, & nunc ſubeſſe, juſto præſtat populo ac regi, quàm Turcæ tyranno, ſi modo vultis grave jugum excutere; Non datur nobis ſanctior vitæ terminandę ratio, quàm pro libertate mori, alium mors in lecto ſuffocatura manet, alterum alti vortices abſumpturi, illum rupium præcipitia exceptura, ac, ut omnia percurram, moriendum forſan ſine mortis præmio. Nobis occumbentibus ſat grande præmium futurum; velle Patriam defendiſſe.

Hæc poſtquam dicta, tacitus mæror ac profundum ſilentium occupavit purpuratos. Tum in furorem verſi: mori ſe malle conclamant, quàm barbari imperata pati; dudum ſe in libertatem aſpiraſſe, verùm defuiſſe auctorem aut ducem; vel Ivoniâ Magnanimô Principe ſe fore

fore liberos. Nec longius verbis provecti, concionem ſolvunt, bellum loquuntur, bellum parant, nec ſegnius Ivonia. Ac ut rectius ſibi conſtaret Valachorum fides, (ea enim ultra quàm aliorum Populorum lubrica eſt; pollicentur, negant, defendunt, offendunt; omnia ſimul præſtant,) ſacramento ſibi obligat. Cum vero libenter manus dediſſent, Legatum Turcicum excedere & Valachia jubet, ipſe parando ſe bello accingit. Verùm infirmæ videbantur domeſticæ vires Turcis reſiſtendo, de externis auxiliis cogitavit, ac nullæ afferebantur quàm Polonorum, quorum arma ſæpius damno ſuo probavit Turca. Inde plus in Barbarum terroris, plus fiducię ſuis partibus. Eaque de cauſa Legatum Cracoviam ire jubet ad Henricum(de quo hic res) Regem Polonorum coronatum; De ſtatu rerum Valachicarum, (quàm periculoſa ſibi, quàm intuta Polonis imminerent,)nunciat: Petiit contra Turcam auxilia, iiſdem præſidiis Poloniam & Valachiam defenſam iri: qui ſuos finitimos oppreſſum iret, eum ulteriora ambire eſſe credibile. Neve omitterent occaſionem Poloni, pericula Valachorum

 rum

rum in ſui tutelam vertere: Mallent Valachis paucâ ope ſubvenire quàm Turcam in viciniam recipere, cui reſiſtendo magnis viribus opus haberent. Plus creviſſe imperia pro Sociorum, quàm pro ſuis finibus pugnando, qui defenduntur, amici parantur, ſi deſerantur, pro amicis fiunt inimici, & propriis finibus hoſtis ſentitur, quem alienis tenere tutius erat. Felicem eſſe patremfamilias, qui in vicinia ignem graſſantem extinguit, ſerò de extinguendo cogitari, cum ſuum tectum flamma adurit, nec ſi extinguatur, integra domus reſtat. Cogitabunt Poloni Valachos Regum Poloniæ ſemper clientes fuiſſe, in Polonorum fidem dudum juraſſe, nunc ſi desererentur, gravatè alios Populos in amicitiam ceſſuros, qui tam faciles forent deſerendo, & niſi in pace amicitiam oſtentarent: Neque ſe orare ut Polonicis ſtipendiis miles ſua caſtra ſubiret; ſufficere, ſi viri non negarentur; ſtipendiorum ſibi ſat ſuperque eſſe; manus & virtutem Polonorum quæri, præmia à ſe expectari debere. Quare daretur ſibi Leopoli aut Cameneciæ facultas, tum aliis in urbibus in ſuum nomen

nomen ſcribendi Poloni militis, quid minus ſociis, clientibus periclitantibus concedi poſſet?

Audiit legationem Rex & Ordines, petitæ de eo ſententiæ, tum reſponſum datum: Regem Polonorum non poſſe Ivoniam juvare, nec ad promovenda Valachorum ſtipendia Polonis dari facultatem, ne quâ ratione ſupra centum annos antiquatâ fœdera inter Reges Poloniæ Turcasve ſervata, violarentur. Polonos alienos eſſe à dolo & deceptionis machinationibus, nihil fide ſervatâ ſibi ſanctiùs eſſe, violata flagitioſius; ubi bellaretur, juſtitiam armorum plus victorię ſuæ contribuere, quàm proprias vires: Dolere tamen Regem & Senatum eam Valachorum fortunam, & felicia optare. Multi Scriptorum, qui curioſius res geſtas Populorum inveſtigant, non modico errori ducunt Polonis, illud tam acre ad legationem Valachicam reſponſum, præſertim cum in aulis Principum aliquorum ſimilia rarò practicari viſa, ubi poſthabentur omnes pactorum rationes, occaſione acquirendi. Ego excuſemne, an affirmem dubius? Affirmare multa ju-

ta jubent. Socios eſſe Polonorum Valachos; Valachiæ Principes in Clientelam ſæpius juraſſe; hæc juſta: Defendere præterea populum, quo cedente, ſibi idem minatur caſus, aut ſervato, ſibi gratuita belli ſubſidia parantur, hæc utilia; occaſionem inſuper capere victoriarum, alienę terrę periculo; hæc honeſta eſſe videbantur; nec omnino omittenda: Aſt alia ex parte, violare fœdera ſumma injuſtitia eſt. Volubilis fidei populum ſibi jungere, plus periculi quàm commodi allucebat. Valachis nulla in amicitia conſtantia, ſemper neutri, & cum fortuna mutantur, quorum in ſubſidium eunt, ſi inclinari fortunam belli videant, ad hoſtes tranſeunt, tum illinc nutante victoria, velut pęnitentia ducti, ad priores redeunt. Id ſuis damnis edocti Poloni; Plus enim Polonici ſanguinis ſeu perfidia, ſeu ſimulatâ amicitiâ Valachorum fuſum, quàm potentiſſimorum Poloni nominis hoſtium aperto robore; exoſa inde nobis Valachorum amicitia, neque ullo terræ aucupio firmanda; noſtris præterea majoribus ac nobis non cavillationibus aut ſimulato aſtu provincias parare fuit ac eſt. Prius

Populi

Populi oportet nos hoſtes ſciant, quàm contra pugnantes videant: Non amicitias ſpe prædæ colimus, cæteris inter ſe bello occupatis; pax nobis in parte mæſta eſt propter vicinorum calamitatem; quietem omnino populorum optamus: Cum verò è Principum ſocietate nobis periculum reſtabit, tum Deus nobis affuturus in juſta ſubſidia; domeſticis viribus ſuſtentamur & eo fortius, quia pro injuriis, pro domo pugnamus; felici ſucceſſu, quia juſtè, quia noſtra defendendo. Plerumque verò comperi Principes bello vexari, qui nimium aut profundius, (ut illi flagitia ſubvertendi ſic vocant) rationes ampliandi ſtatus perpendunt, hos in amicitiam pertrahunt, alios relinquunt, ſæpius ſuſpicionibus laborant: Nobis ea maxima ratio ſtatus eſt, ut quicunque nos oppreſſum venerit, eum bello repellamus & proſequamur; ut ſua in noſtris manibus relinquat, qui noſtra occupatum venit. Paucis concludam; excuſari Poloniam erroris, vel ex eo, (quod maximè in rationem abeat) quia bellum contra Moſchum pro recuperanda Livonia per Poloniam apparabatur. Neque tu-

tum

tum erat motis armis à ſeptentrione, alium ab Oriente hoſtem provocare. Verum cum hoc excuſaverim illud accuſare non ſuſtineo; protraham ſanè errorene in palam, in quem res Polona paulò ante illa tempora æternùm impegit, cum poſt deceſſum Ludovici Regis Hungariæ, Auſtriacorum domus, germana gens Slavicæ & toti Sarmaticæ genti infenſa, nuptiis Annæ Sororis Ludovici, ſubverſo per ambitum Hungarorum ac Boëmorum jure & more eligendi, aſſereret ſe in hæreditariam ſucceſſionem utriuſque populi. Quod omnino abeat in errorem Polonorum, earum gentium juri defendendo tum defuiſſe, cum tergiverſarentur & de auxiliis à Polonia tum bello vacua ſibi proſpicerent. Contuliſſet ſanè non leviter ad utilitatem Magnæ Reipublicę utroſque eos populos per ſuos Principes in partibus regi, nec in Auſtrię domus cultum & dominatum abire, & cum Imperialis purpurę (quam ſibi ea domus aſſeruit) jungi Majeſtate, ut jam monſtroſam in vicinia, non ſine pænitentia erroris, unius ſanguinis ſuſpiciamus potentiam, libero periculoſam, vicino gravem. Sed quo

quo in numero commodorum reponam Hungarorum præſertim regnum inconcuſſum ſtare. Quæ gens (ni Sarmaticę cognatio cedat in ſocietatem) certè cognatis legibus, moribus, eodemque veſtitu, noſtram ſe eſſe & amicam prodebat, ac in pericula pro ſubſidio parabatur; nunc verò Germani Regis dominata induit Germaniſmum, ac nobis ſociari nequit, velut ſuæ naturæ oblita: (ne de Bohemia loquar, quæ planè Slavicam, receptione coloniarum, morum & linguæ Germanę, exuit originem,) & cum electionis viâ reges antea quæreret, nunc, pompa tantùm relictâ, verè hæreditatem unius domus loquitur, quod ſtetiſſet penes authoritatem populi & legum; plures gentes ac regna darentur, quę eligerent, & cum electione reliquam retinerent libertatem; nunc ſoli in orbe cum ſimus tales eoque magis metum ſuſpicaturi in tantam unius populi felicitatem, Monarcharum conſpirante invidia, & ſubverſi paulo ante duorum populorum juris recitante exemplo. Prudentius olim Boleſlaus Crywouſtus Rex noſter, qui Hungaris contra Henricum quintum Imperatorem Romanorum

opem

opem tulit, neque Almum Coloniani Regis fratrem, ex arbitrio Germani Imperatoris, regno Hungariæ ſufficiendum paſſus. Et rectiùs ante eum Boleſlaus audax (circa Annum Chriſti MLXIV Andream Regem Hungarię Henrici IV Imperatoris auxiliis tumentem, & contra voluntatem Ordinum Hungariæ Sceptrum tenentem, cum ſuis promotoribus Germanis fudit, atque Andrea necato, Belam ad ſe profugum & amicum Polonorum, pro voto Hungariæ Procerum, in ſede regia Albæ regiæ collocavit. Certè utrique Boleſlai, cum integritatem cognati populi tuerentur, ſuam fulciebant, ut ſic Sarmatico Slavico nomini ſua ſemper ineſſet authoritas ac terror in hoſtes. Ac licet utriſque ſui non deerant hoſtes, pro Sociis pugnare maluerunt. Sed brevius agendo ut concludam. E re populi Poloni aliquando futurum, ſi tandem bona fata Hungariæ priſtinum reddent ſtatum, & nobis cum cognata gente reparabunt amicitiam. Sed tandem ad Hiſtoriam.

Accepto tam triſti reſponſo Ivonia è Polonia, conſternatus animo, quid facto opus eſſet cogi-

cogitat. Tum nunciatur, levem armaturam equitum Polonicorum (qui è voluntariis, ut vocant, coadunati, ad Boriſthenis & Ponti ripas, prædas agendo in hoſtem confluunt, ac ſub prætextu Reipublicę, nec tamen ſub imperio, Scythas vexant,) ſine ſpolio domum reverti, paucos eſſe equites, ſed militem bello induratum, & manu ſtrenuum. Ire jubet Ivonia unum atque alterum nuntium; in Valachica caſtra Polonos invitat, juſta ſpolia & opimas de Turcis manubias pollicetur. Parent illi dictis, flectunt Irenos Valachiano verſus, læti occaſione ab odio inertis otii, & amore præliorum, in caſtris educati. Præcipuus ductor horum Swiercevius, velitum numerus mille & trecenti. Venientibus Ivonia obviam proceſſit, honoro ſermone excepit, primores menſę ſuæ aſſidere juſſit, præmiis affecit, majora pollicitus, ſtipendiorum non numerum, ſed pondera. Non verbis illi, ſed factis reſpondere parant, quam ſibi levis mors, quantuſve amor gloriæ inſit, ſolo poſſe eventu notari, neque aviditate ſtipendiorum Ivoniæ in Valachiam ſe tractos, ſed non amore otii, ſed bellandi occaſio-

 caſio-

casione, respondent, eoque magis, cum pro Christianis & contra barbaros. Nunciata hæc Imperatori Turcarum. Misit ille XXX Millia Turcarum & II Millia Hungarorum Palatino Transalpinę Valachię, nullum, ajens, fideliùs ac fortius contra Ivoniam bellaturum, quàm qui Principatum ejus affectaret. Transalpinus recepto mandato & milite, suos quoque incolas movet, Turcarum copiis jungit, nec cunctatione opus ratus, (ubi crescere indies Ivonię copias certò accepit) in parvis opprimendum properat; sed periculum ex celeritate sibi peperit. Fatigatus celeri itinere miles & jumenta quietem popoſcerant: Ideo effusi in plana, nil minus quàm adventum Ivonię suspicantes, miles & equi effusè vagari per campos, nullæ stationes, nullę vigilię ac Ordo castrorum, Transalpino negligente, optimam partem boni ducis cum nesciret, tum oportere maximè vereri hostem, cum minimè speratur, & scire, non se ab adversario peti, quàm ut in tuto ac proinde insperato, opinione securitatis, opprimeretur; non etiam in Patrio solo esse deserenda, quæ tuta castris sunt, sic disciplinam militarem servari,

vari, & Ordinem militiæ non solvi. Prudentiùs contra fecit Ivonia, etiam in remotis per vicos, oppida, saltus, vada, à tergo, à fronte, speculatores binos ternosve locavit, quo certior & constans de hoste fama. Uti brevi nuntiatum in proximo esse hostem, sed fessum, incautę quieti deditum, alibi jacere, arma alibi, vagare jumenta, nullos equorum haberi custodes, ne subito (ut casus fert) tumultu amoveri possent; Omnia in victoriam Ivoniæ conspirare, fore ut facile opprimeretur hostis, si properè paratum admoveret exercitum: aliis, qui neglecta hostium arma, aliis, qui equos occuparent, imperaret; reliqui ad cædem expedirent manus. Verum periculum manebat, ne ad prædam prius, quæ opima sparsim visa, quàm ad cædem miles præpararet manus, ac hostibus occasione superior, præda vinceretur. Non negligenda ea ratus Ivonia, qui sciebat Valachos prædę avidissimos: Monet Centuriones ac Tribunos; Omnia post victoriam sua fore, nec prædâ adeptâ salvo hoste, tutum potiri licere. Dein, pulchro astu in consilium usus, proclamare jussit: Captam è prælio prædam

dam non capienti, ſed communitati, ceſſuram; unius militis in alterius armis præſidium eſſe, ſi ſinguli per capita caperentur, adverſus hoſtes eſſe invalidos, ſingulos cum reliquis fortes omnino haberi; mutua hæc fore, & præmia mutua eſſe debere. Avertit ea ratione rapaces Valachorum manus, ſingulis cogitantibus, fruſtra ſe alterius præmio prædam quærere, dividendum potius, quam alii cepiſſent: ſic ſinguli ſingulos circumſpectantes, omnes ſola expediere arma, de præda non ſolliciti. Interim Swiercevium cum una atque altera Polonorum thurma præcurrere jubet Ivonia, ipſe mox ſecuturus. Jungit Polono ſex millia Valachorum, nec paucos horum, qui linguæ Turcicæ gnari, quatenus omnia certiùs cognoſceret. Swiercevius ea Ivoniæ imperata in honorem virtutis trahens, quanta potuit bellandi peritiâ rem egit; quia verò tacitè ac properè in inopinatum ire hoſtem, primum & fortiſſimum ad vincendum telum judicaret, monet, orat, quanto ſilentio poſſent, ordines ſequerentur: ſic veluti curſu progreſſus incidit in globum Moldavorum, (Eorum

rum fuere circiter CCC equites, neve adventus ſui nuncius in Caſtra hoſtica deferretur, Ordinum alas citiſſime curvari, cominùs rem agere imperat, (quod eſt compendium pugnę, Moldavos medios includit, duo treſve elapſi; verùm velociſſimi eos ſecuti & aſſecuti, inquirit ex iis Swiercevius numerum hoſtium & omnia præſertim in caſtris. Negant illi aliquid horum à ſe ſciri; ſed cum Barbaro fruſtra ingenue, minæ adjiciendæ erant. Tum faſſi; Ivoniæ vitam ſe petitum ire, exercitum ſuum conſtare LX millibus armatorum nunc ſecurum, moleſtias itineris proximis in Campis quiete reficere. Ad ea ſubſtitit Swiercevius, aliquos ſuorum pedes accedere prope hoſtium caſtra, quàm proximè & occultè poſſent, jubet; ſitum præterea campi notare, qua parte globatus, qua Sparſus hoſtis, inde irruptionis viam colligi. Relinquunt equos, aliqui equitum jam recto corpore ceptant incedere, jam curvari, jam proni per campum herbam interrepere, quo hoſtium aſpectus vitaretur. Inde nonnulli in editiores colles emiſſi, omnia hoſtilia notabant, Swiercevio

relaturi. Tum ille omnia rectè cognita Ivoniæ post terga eunti nunciavit, neve moraretur iter orabat, in manibus esse victoriam. Adest subitò Ivonia cum exercitu. Swiercevio irruendi in hostes facultatem dat; ipse cum reliquo agmine (quoniam multitudine abundabat) tribus ex partibus hostium castra aggredi parat. Verùm Swierchevius Polonorum pauca manu stipatus & adversus tantum hostem impar, Valachorum tumultuario militi haud fidens, suadet Ivoniæ, ut opportuno loco propè relinquerentur gravioris armaturæ equites cum peditibus sclopetariis, quo si adversa pugna imperaret, Valachis, atque adeo sibi tutus receptus foret: in fuga etiam globari oportere; sparsim & in diversa fugientes facilius cædi. Non neglexit certè optimam partem bonorum Ducum, qui prius tuta sibi, quàm hosti adversa parant, ac tantum studii ponunt, ut hostem vincant, quàm ne vincantur, his permodum consilii Ivoniæ porrectis addidit: En ego cum hâc manu Polonorum primam vim hostium pectoribus recipiam, sequimini Valachi, audentes propiùs quàm timidos

dos fortuna est; vestrûm quemque virtus nativa Poloni ad fortia hortetur. Tum clamore sublato in hostes invehitur. Inopinata hæc hostibus, tantumque illis demptum animi, quantum audaciæ irruentibus accessit: inde in Castris tumultus, pavor; nec frenare equos, nec capere arma valuere: tum cædes orta, fugæ nusquam locus trepidis superfuit. Ivonia item aliis ex partibus ex composito cum Valachis irruit; quid ultra desideratum post satietatem cædendi? pauci admodum illi cladi superfuerunt: Ast quod grave accidit, Palatinus cum Petro fratre fuga se subduxêre, quos solos arma Ivoniæ quæritabant. Post pugnam tecti cadaveribus visebantur campi, victori etiam horrendum spectaculum! alii semicæsi gemere, alii stare aut fugere niti, nec præ vulneribus posse: Præda multa in castris reperta, quam Ivonia militibus ex æquo concessit, majorem Polonis victoriæ authoribus donavit. Mox lætam victoriam excepit Ivoniæ indignatio, dum cadavera Palatini ac Petri fratris (quos occisos credidit,) non reperta inter cæsorum cumulos. Quare eo ex loco bellum ultra

tra promovendo in regionem Moldavi Militem duxit, grassando igne & cæde, ripas Danubii leva prope habens, quatenus ab incursionibus altera parte tutior esset, & transvadentem in subsidium acceptæ cladis Turcam, commodius notare ac impedire posset. Sic intra cædes ignemque hostilis terræ ad arcem Braitoviensem ventum. Arx ea ripâ Danubii ac suis fossis fortissima, parte una oppidum habens, vallo & propugnaculis munitum. Certior subinde fit è circumfusis accolis Ivonia; Palatinum è prælio fugientem cum Petro fratre se eo recepisse. Movet propius arcem exercitum, & medios inter colles locum conspicatus extra conspectam Valli positum, eoque minus tormentis muralibus obnoxium, castra inibi metatur. Scribit exinde ad Turcam, arcis præfectum, literas, Palatinum cum Petro dedi sibi poscens, (vel si æquitas causæ in persuadendo valeret,) injustis armis se ab eo petitum indicans, neque aliud quæritari, quàm ut periculum à capite propulsaret, quod ne bestiis denegaret natura, quod si verò petitum recusaret, minatus, exercitum ab oppido

do non recessurum, & vi parandum iri, quod denegaret justis petitis. Lecta epistola indignatus arcis præfectus, globos majores tormentarios, ac aliquot sagittas extra vallum mittit fercula adventanti. Non terruere minæ, sed incitavêre Ivoniam, ac primum ab ipsis præfecti nuntiis iras orsus, crudeliùs quàm bonos duces decuit, naribus, auribus ac labiis præcisis, pedibus sursum versos, singulos ferreo clavo altæ trabi affigi jussit; ut ex arce prospicerentur, similia præfectum cum profugis manere indicans; tum ad militem conversus, alios fasces ad implendum fossas portare imperavit, alios ligonibus vallum subvertere, scalas expedire, propugnaculis admovere, ascendere; Uno furore omnia acta & transacta. Effractæ portæ, tum gregatim in oppidum irrupere miles, Turcas cædere, nemini parcere; Swiercevius cum suis ubique primus, in campis eques, in capiendis fortalitiis pedes certans, cæsorum sanguine rubuit Danubius. Sola restabat arx præsidio oppidi nudata, verùm suis propugnaculis fortissima: cum de ea occupanda cogitat Ivonia,

nunciatum per speculatores, XVI millia Turcarum superiori alveo Danubium transivisse, magnisque itineribus in subsidium arcis Brailoviensis tendere. Vocat Swierchevium Ivonia, quid consilii daret inquirit. Non negligendam ille arcis obsidionem agit, multùm inde terroris reliquis fortalitiis, fortissima obsideri, spei vilissimis dari, si prima nullo honesto prætexta relinquerentur; sed tamen cum parte exercitus adventantibus obviam eundem suadet, nulla ratione plus consternari hostem affirmans, quàm si adversus euntes videret, ad quos delendos superbus properaret: Ne verò aliena ab opere suadere videretur, factis monstare properat, quæ verbis insinuavit, simul viæ signum Polonis dari jubet Ivonia, concilium & virtutem acceptans; IX millia Valachorum Polono jungit, quo ille milite stipatus, hostes adversus properat ac mox sub aspectu habet, (integra verò acie, dum locus patiebatur, ibat per campestria, ut ultimi primis ac utræque alæ sibi proximo afforent præsidio.) Idem cursus fuit itineris, idem in prælium impetus, nullo spatio ad recolligendas vires

res & ordines concesso, opprimere prius quàm opprimi cogitantibus, ideoque minus cautis. Primus cum Polonis mediis hostibus immiscetur, secuti exemplum postremi in agmine Valachi, nec segniùs audacter rem cæptam aggrediuntur. Mox Turcæ fugêre, Poloni tergoribus eorum instare: Cæsa Turcarum circiter VII millia, reliqui fuga saluti consuluêre; Sed iterùm vires resumpturi ab auxiliis Scytharum, qui jam jam à Taurica Chersoneso in conjunctionem armorum adventabant, ast serius post prælium. De iis certior fit Swierchevius, sed quia validiores erant, quàm sibi pares crederet, nunciat Ivoniæ simul obtentam victoriam, simul alium offerri hostem, & fors ad triumphum, si reliquo cum exercitu ad se veniret; non utique honestiorem posse afferre solvendę obsidionis prætextum arcis inexpugnabilis: Ad eum nuntium movit Ivonia ab arce Brailoviensi exercitum, Swierchevio se junxit, neque leviter, (quid enim pluribus narrare opus?) hostem attrivit. Jam fessus victoriis Ivoniæ exercitus otium poposcerat, hostium novo ac novo accursu illud negantibus

bus (neque verò admirationi cuiquam esse debet exercituum Turcicorum à me repetita toties imago, totum enim, qua patet, Turcæ dominium in Satrapias ac hæ divisæ sunt in Milites; Satrapiarum gubernatores Bassæ dicti, nil nisi opus habent imperia Tyranni expectare, conclamare arma, ac signa ducere, quo Principis vocant jussa. Neque verò sciverim Satrapiam minorem, sex millium armatorum.) Vel fortuna tantas per compendium offerente Ivoniæ victorias, quas aut diu superstes recepturus fatis destinatum habuit, aut gravem successu felicitatem funesto exitu brevi expiaturus erat. Tum quoque certo rumore acceptum, Turcarum nova agmina in proximo adesse, & certa fluviorum unda sparsim tranare. Poloni potestatem invadendi orant, sed Ivonia periculum suspicatus paucis eos alloquitur.

Patroni mei, (non enim milites vos appello,) diu vos servari velino, qui me tantis in periculis servastis. Nec mihi in animo est vobis imperare pericula, quæ potius meo capite redimere optarem, gentilia quidem vobis virtus

tus ingerit ausus & fortia, verùm fortuna belli non semper eadem, cum sæpe tentatur, adversam aliquando se præbet, velut pro lege habet: mearum victoriarum ut in vobis fuit initium, sic reliquarum in vobis spes est, aut si vos aliquis casus absorpserit, quid mihi reliquum? nisi omnia in deterius. Quo verò pautiores vos video, eo magis ultimis servari velim; Cum viris viri certare potestis, at cum periculis, ultra humanas vires positum. Incognitum vobis, qui numerus hostium, quæ robora, audaciùs magis quàm consultius rem tentare vultis, æquè pericula inde sperari possunt, ac felix exitus. Verum ne vestræ virtuti diffidere videar: Ite Duce Deo, nec tamen vobis ea impero, sed quibus nihil denegatum velim permitto.

Hæc ubi gaudione an dolore illachrymans dixit, tria millia Valachorum dat Swiercevii sub regimen, movent signa Poloni, sequuntur terga Valachi, properant, currunt; ubi prope hostes ventum esse innotuit, Swiercevius instruit derepente aciem: Valachos latis Ordinibus distentos post terga stare jubet,

bet, (neque enim potens aderat hoſtis) magis in terrorem quàm ſubſidia, in ſuis initium, in ſuis, quemcunque fortuna belli tuliſſet, exitum collocans: Polonum in tria agmina dividit, admiſtis melioribus (quas credidit) thurmis Valachorum. Cum primo agmine invadere hoſtem parat, à ſecundo ſubſidia expectat, à tertio cladem, aut ſuorum victoriam, vix credibile, niſi concordantibus in eo ſcriptoribus conſtet ſua fides, (nam ſubiret alias animum verecundia, incurrere in judicia lectorum & cenſuras, plus me gentis meæ indulſiſſe favori, unde procul abſum. Certè ego his majora dixerim portenta belli actorum apud antiquiores rerum Polonarum Scriptores reperi, imò mea ætate & hoc ſequenti in ſcripto notavi. Ut autem æquum eſt ſcribenti hiſtoriam non laborare affectu, ſic injurioſum, ſuâ gentem privare gloriâ, reticere vera,) Polonos in ea paucitate toties ingruentem hoſtem aggredi, aut quod mavis potuiſſe vincere. Jamque primo congreſſu arguebatur Swiercevius temerariæ audaciæ, ſubſtiterat enim Turca fortiùs & retrogredi cæptabat primum Polo-

Polonorum agmen; ſed fortibus nullus obex; altero ſubſidia ferente paululum remoratus hoſtis, nam tertium, quod è ſagittario conſtabat, ſiniſtrum invaſit cornu. Parva ſubſidia; ſed novo ſæpè impetu renovata, multum tulere momenti. In hoſte non item uno incedebat agmine, numerus magis quàm acies; omnes ſimul ruebant, omnes turbabantur; in populoſis etiam aciebus, ni per diſtincta ſpatia inſtruantur legiones, primis perturbatis Ordinibus, ultimi in tumultum conſentiunt, quia nullus poſtremis ad inſtaurandos ordines locus, nullus ad accurſum impetus, vel quod à ſuiſmet retrocedentibus turbantur. Juvit vincenteno Polonum, motus ſuo loco Valachus eques, in latera hoſtium invectus. Cum verò ſic certatum pro victoria, manſit ea penes Chriſtianos, & parvo conſtitit. E Polonis tres deſiderati, è Valachis CXX; hoſtium caſtra eodem impetu capta ac direpta: Captivi CCL ad Ivoniam ducti, quos Ivonia (nequaquam probo facinore) medios inter pedites, ut pecudes agere, & falcibus diſſecandos imperavit. Non probaverim hæc belli flagi-

 tia:

tia : nam in conflictu cædere hostem virtus est, post pugnam flagitium; esse hostium & captivorum sua jura; turpe jacentem & vinctum ferire, cui neque ferrum in manu sui defendendo, & vita præcaria est. Gentium jus captivis libertatem, non vitam, ademit. Dux victi tum exercitus in potestatem Polonorum venit; qui Ivoniæ crudelia veritus, duplum sui in auro pondus, trinum in argento, unum in margaritis (lytri nomine) Polonis pollicitus; vel si mortem suam avidius poscerent, malle se (protulit) Polonico gladio jugulum præbere, quàm in aspectum Ivonię duci. Adeò in captivo trux aspectus & immensa Ivoniæ crudelitas valuit, ut mori levius haberet, quàm captivus esse Tyranni. Melius consultum fit omnino ducibus, apud quos cum prælio in captivos cessat sævitia armorum; desperatione namque armatur hostis ac pertinacius pugnat, cui captivum esse morte gravius est; in arbitrium clementis facilius hostes cedunt victoris. Victis semper spes clementiæ ostentanda, quo plus periculi in pugna, quàm post pugnam metuant; sic clementia expugnantur qui armis

mis nequivere. Non movere ea avaritiæ incitamenta Polonorum animos, plus valuit fides Ivoniæ data, quàm tantorum captivi Ducis spes præmiorum. Sed traditus potestati Ivonię, quo cum ille diutius de rebus Turcicis collocutus, postea peditibus dissecandum objecit. Mota tunc ab eo loco Ivonię castra Valachiam retro versus, quo tot aciebus exhausti exercitus vires commeatu, armis, equis ac novo militum supplemento refocillarentur. Interea Seleymus Imperator non jam pro Moldavi fratre, sed pro suo Imperio certandum ratus (metuebat, ne victor Ivonia, defensoria eousque arma gerens, offensiva expediret.) publicas ritus Machometani preces per omnia fana induxit, barbaris etiam desuper felicia trahentibus. Tum omnia robora virorum, quos Græcia-Romania vel (ut terræ partibus loquar,) quos Asia, Africa, Europa, quatenus Turcico nomini subsunt, nutriunt, ad bellum convocat, contra Valachum ire imperat. Hic proclive mihi dicere de militia Turcica. Quantacunque gravi Turcarum dominio contribuit tellus aut maria, quidquid publicè

privatimve negotiosa aut laboriosa suppeditare potest manus, totum superbo Tyranni subest arbitrio; telonia maris & urbium in suum ærarium importari imperat, prædia & agros dividit plerumque in milites, neque ea gratuito cedit acceptori munificentia, sed pró magnitudine proventus binos ternosve equites agri tenutarius, dum bellum per provincias jussu Imperatoris proclamatur, in castra secum ducere cogitur, ac tam diu, quoad usque opus fuerit morari. Hi verò milites, Turcico vocabulo, Tymarii vocantur. E magnitudine Imperii ipsa se offert equitatus multitudo, licet non omnes inibi regiones, ut nostro in orbe, incoluntur, & sæpius deserta camporum aperiuntur aut avenarum; CCC millia tamen quaterve equitum, posse legi dixerim, neque Barbarien Turcicam per omnia sua dominantem hic arguo: qui malunt vires quàm nummos, pro quærendis bello viris, habere. Cum milites provinciis imperantur, ipsas sibi sine fraude constare vires Reipublicæ, pecunias verò in censum exactorum imperari; Respublica interim manet dives rationibus, ære pauper

per

per & milite. Turca aliter à modica accessione limitum, novos ac novos per divisionem agrorum equites annumerat; ea verò imperii potentia sola dici potest, ubi nullus ager publicè infructuosus est. Sic ab agrorum proventu equites habentur, pedites verò ærarium nutrit Imperatoris: Hi autem è minorennibus Christianis è sinu Parentum abreptis in aula Tyranni, per minora primum servitia & armorum exercitia, in oblivione natalis, domus & Parentum, educantur, ut postea milites facti fidelius ac pertinacius (quem pro communi Parente noscitant) suum defendant Imperatorem. *Janzari* Turcico vocabulo denominantur; suntque robur militiæ ac cor castrorum: *L.* numerantur aut plus millia. Neque hic stetit potentia Turcica. Sunt Turcis fœderati Reges ac Principes, qui ære, viris, dum opus, non segniter subveniunt; ac ut pro omnibus sufficiat, magnus Scytharum seu Hordarum Han, qui ultra C. equitum millia militantibus Turcis adnumerare potest. Non levia item subsidiorum momenta sunt in Arabum & Mauritanorum Regibus; Valachorum item Moldavorum,

vorum, Tranſylvanorum Principibus ac Dinaſtis, verbo dicam, portentoſa eſt Turcarum potentia, neque de hac amplius. Motus ſic ſedibus ſuis Turcicus miles, maxima parte ſui, infenſis armis imminebat Valachiæ. Non ignota hæc Ivoniæ, multos enim ſuorum profuſo ſumpto tenuit clam Conſtantinopoli, unde illi omnia Turcarum nota: nec ſibi oſcitandum ratus, viros & vires procurabat, quò verò commodius poſſet, in interiorem Valachiam duxit exercitum, ac ne domeſticis agris gravis foret, maximam militum partem dimiſit domos, & corpora reficere, apparatum bellicum parare, ſignum caſtrorum expectare juſſit: ne verò nomen Caſtrorum periret, ac futuri belli in integro maneret Pompa, qua multum hominibus imponitur, XII virorum millia ſub ſignis retinuit, quos Veremiæ Valacho, arcis Chotimenſis præfecto, tradidit ſub imperium. Quia verò ad muneris demandandi gravitatem præfatione opus erat, benignè eum allocutus:

Cœlo debemus, quidquid victoriarum noſtra peperere arma, in Deo reliqui ſucceſſus ſpes

ſpes eſt, ſed tamen veſtrâ, amici, fide & operâ opus; tua verò, Veremia, maximè, cujus ut fides in præfectura Chocimenſi probata, ſic virtus ulteriora pollicetur & bona. Noſti meum conſilium, cur majorem exercitus partem à ſignis abeſſe voluerim, noſti, cur reliquum militem retinuerim, quem tuo regimini trado. Tene hoc præſidio accolam nobis Danubii ripam, nullibi magis notari hoſtium adventum, quàm apud fluminum vada, nullibi minori opera coërceri: Danubius nobis pro mari futurus, aquis profundus, ripis latus, impetu rapax. Non poſſe utique Turcam bellum has in partes tranſportare familiari nobis ripa excluſum, nec antea potuiſſe ſi feſtinanter eo conſilio uſi fuiſſemus, cui negotio ſufficit hic tibi miles, ſeu illum in duo triave agmina diviſeris, quo crebrior armorum oſtentatio & littoris cuſtodia hoſtibus innoteſcat, ſeu globatum unicis includes caſtris; ſuperiori verò & inferiori littore, crebras ſtationes poſueris, per oppida vicoſque qua tranſitus hoſtis notabitur, noctu flamma, interdiu ſonitu machinarum muralium aut fumo ſignum tibi dari impera-

peraveris; imò ſpeculatorum opera utere, qui Turcicis agminibus obviam eant, vias notent, tibi referant; inde conſilia hoſtium notari, & dum hoſtes adeſſe intellexeris, mihi nuntia. Cætera notæ fidei committo.

Tum oſculo excepit Veremiam. Ille flexo poplite ſuæ fidei & curæ futurum reſpondet, ne pœniteret Ivoniam conceſſi ſibi muneris. Accipit inde exercitum, & uti imperatum, Danubium verſus promovet, in longum porrectum littus ſtationibus implet. Veniunt interim altera ex parte Turcæ, fluvii tranſitum molituri; verùm in periculum conſpiciebantur ulteriori in ripa ſtationes. Tentant nihilominus ratibus tranſitum, periclitantur, remorantur. Tum conſilium ineunt, vi non valent; auro viam ſternendam parant, ut in mercanda adverſariorum fide Turcica gens peritiſſima, nam & profuſſima eſt. Per legationis ſpeciem Veremiæ adeundi poteſtatem petunt. Obtulere XXX millia nummûm aureorum, plura polliciti, ſi pateretur Danubii tranſitum; adjunctæ literæ. Oſtenſum quo in periculo res Ivoniæ forent, neque tutum fidere

fidere poſſe Veremiam ejus potentię, diutius Turcarum Imperatorem poſſe perire, quàm Ivoniam vincere, qui vel vincendo periturus, qualibet in pugna multos Valachorum abſumptos, duas treſve cruentas victorias cladi adæquari; inde maximum parvo exercitui deceſſum. Imperatori Turcarum tot eſſe miriades virorum, deleto quarto exercitu, ſupereſſe minaces alios, nec poſſe ejus potentiam deleri, pro quo tantus orbis ac ferè humanum genus militaret. Tutiora potius ſequeretur Veremias, quàm periculoſa, niſi cum Ivonia perire tandem mallet. Ivoniamne ſuæ ſalutis defenſorem quæreret? qui nec proprię dudum Patronus. an Ivoniam, tantulum Principem, pro Seleymo Imperatore, aut Seleymum pro Ivonia caperet; Non negligeret potius occaſionem, quatenus rebellis eſſet, Seleymum novo beneficio leniendi, neve exemplo præteritæ fortunæ reliquum belli ſucceſſum metiretur; feſſam tandem deſinere felicitatem.

Movere munera, tamque fucata ratio Veremiæ perfidiam, vitio Valachicæ genti nativo; vendidit fidem nullo pretio æſtimandam, pro-

prodit Ivoniam ſuæque ſalutis nequam proditor. Abducit ſtationes à littore Danubii. Turcas Danubium ratibus ſternere, ac ſine impedimento tranſire patitur. Erat ille Turcarum exercitus validiſſimus, numerabantur CC millia virorum, CXX machinæ bellicæ. Sic Veremias flagitiis flagitia cumulans, addit perfidiæ dolum; uti plerumque primum vitium gravatè homini perſuaſeris, reliqua ſpontè patrantur, ac difficilius unicum inſinuaveris, quàm alterum retinueris: ſic ille defenſoriam ripam hoſti vendidit; reliquum doli ſine præmio aggreſſus. Properat ad Ivoniam, patrato facinori fucum quæritat. Narrat, ſe potentia Turcarum ripa Danubii pulſum, nec ideo tamen in periculo res Ivoniæ poſitas, modo convocaret militem, ac ſibi auxilio foret. Plenus bonæ ſpei Ivonia, percunctatur Veremiam, quantus eſſet Turcarum numerus? XXX millia non excedere, reſpondit. Ni verò ad delendos properaret, in horas numerum auctum iri. Non ſatis nequam homini conſtitit prodere, ni citò prodidiſſet. Jubet ſubinde Ivonia convocari primores militiæ, refert coram

coram Veremię narrata, ſed, ut præſaga caſuum mens, mæſti nuntium accepere univerſi. Nec tamen diſſuaſere, in hoſtem ducendum exercitum. Tum juſſa ſine mora colligi & levari ſigna, ac citato agmine octavis caſtris ad tertium ab hoſte lapidem ventum; fixa eo in loco vexilla; nam militem quieſcere ante pugnam oportuit, quo validius pugnaret; quia verò proximè hoſtes aderant, qua vallo, qua caſtris cincta caſtra, duplicatæ ad portus ſtationes, vigiliæ longius & frequentiùs quàm ſolitum, ultra vallum promotæ. Quia verò peritia bellandi (licet inter Barbaros educatus, verùm optimo naturæ genio pollens) Ivonia ſat inſtructus erat; denuntiat cuique agmini per præfectos locum, ſi aliquid hoſtis ex inopinato moliretur ac ſignum armorum in caſtris daretur, quæque cohors ſine tumultu, non expectato cum periculo morę Ducis imperio, dictum locum ad vallum occuparet, ac pro ſua ſtatione pugnaret. Attendêre ad ea miles & pręfecti diligentius, quibus ille ordo datus. Verum hoſtes ſeu metum inſimulabant, ſeu periculoſam Ivoniæ fiduciam

ciam insinuantes, nec quidquam tentavere. Sed mirum accidit, cum antea Ivoniæ exercitus in hilaria & jocos militares profusus, tum verò omnia suspensa mæsta legebantur in frontibus militum. Nec leviter ad tristitiam contulit insueta Polonorum concio ad tentorium sui Ductoris Swiercevio. Suspectus plerisque erat, qui bellorum longo usu gnari, Turcarum per Danubium transitus; item & Veremiæ Valachi suspecta fides: Commemoravere nonnulli Valachorum fluxam in suam patriam fidem ad omnem proditionen venalem, nec Veremiæ esse fidendum, inter vitia gentis educato. Modicas fossas sufficere impediendo hosti; altas ripas, fluvium Europæ maximum, non suffecisse? mira hæc videbantur. Subjunxere item alii: se quidem paratos ire in ultima vitæ discrimina; nec tamen avidiùs inconsulta pericula, quàm justa prætia adamasse; nec sibi satis constare, cur Ivonia eo consilii devenerit, ut unius Veremiæ fidei sine socio tanta committeret; bona verò à socio belli consilia porrigi, bonos item esse cujusque fidei seu testes seu custodes. Quare ad Ivoniæ tabernaculum

lum omnes properant, quo prætextu, quove consilio repentinum prætium affectaret, discere cupiunt. Cum in præsentiam ventum, pro omnibus Swiercevius Ductor locutus:

Illustris Palatine, nos hactenus fidem tuam secuti, contra Turcam Christianitatis hostem, socia tecum arma junximus, in quibus ferendis quanta opera nostra extitit optimè nosti, nunc quoque imperio tuo opus est, vel si solos & impares in magnum hostem ire jubes. Verum uti audacia in milite quæritur, sic temeritas Imperatori vitanda, tuo verbo vincimus aut perimus milites, probe perversumve præliis consulueris. Equidem non incumbit nobis, qui milites sumus, à te Imperatore rationem prætii petere, ne illud de nobis suspicare, dum ratiocinatur miles, eum prope formidinem esse. Magna vobis Ducibus ratio bellandi inest, premere consilia, nec ad cognitionem tertii deducere. Quare sacrilegæ audaciæ esto, importunè vestris secretis adrepere, ac illud Martis sacrarium curiosa notitiâ profanare. Procul à nobis abest ea curiositas; verùm illud quoque scimus, nec te ignorare arbitramur,

mur, consilia priora esse præliis, plerumque veteranorum sententiis informari imperator, varia casuum proferri, unde potiora seligendi tibi materies; nam ut deceptoria humanis in affectibus amant obversari, metu, spe, audacia, periculosa plerumque arripiuntur consilia, ni sensus plurium de eo notentur, sententię militum palam sint, decreta Imperatoris in occulto: sic utrumque cum laude assequere, consultus pręlia aggredieris, & destinatorum secretus. Notavimus has sanè in te virtutes, cum principio istiusce belli nos in consilium vocâsti, ac primores tuorum Valachorum. En consilii in manu pręmium; quater hostem agressi sumus, quater fudimus. Jam verò, ut castrorum vago rumore accepimus, cras cum Turca decertandum te statuisse, nullo nostro, nullo hostium consilio cognito. Nostrum quidem si petis in promptu est, at hostium in occulto. Nec quęso dubita, plusne expediat nosse quid hostibus consilii, quàm quid tibi sit, ut tuta hostium in perniciem vertas, & tibi nociva in salutem; da negotium strenuo, mitte equites, quò celerius pabulatores

res

res seu vagos Turcarum intercipiant. Numerus hostium, castrorum tractus non aliunde discitur. Si res prælium suaserit de nobis nequidquam dubita, non alius hosti in Valachiam transitus, nisi quàm strages corporum nostrorum aperiet viam.

Ad ea Ivonia respondit:

Rectè factorum conscientia major in faciente, quàm à spectatore dari potest laudis prę-mium; non tamen vos Poloni magis virtutis conscii estis, quam ego oculis eam notavi ac in animo cum laude recondidi: Vellem mihi plura vestrorum signa adessent, propitium Martem sperarem. Consilium meum petitis? En in proximo. Veremias cum exercitu meo adest, qui in hostem intentus, omnia consilia nota habet. Neque ego tantum rei alicui committerem, ni fides mihi cognita foret & probata: Ab eo relatum mihi, Turcarum esse non amplius XXX millia; quantulus hic adversus me numerus, qui majores exercitus vestro auxilio fugavi.

Hæc seu ad leniendos Polonorum animos locutus Ivonia, seu recta dictorum uti factorum erat conscientia; benè tamen à Polonis ac-

cepta

cepta fuere omnia, qui ſubitò ea oratione moti, petunt negotium ſibi committi, pabulatores ſeu vagos Turcarum invadendi. Facile conceditur: additum juſtum è Valachis auxilium; expediunt illi equos, properant, fortè incidunt in ſtationes Turcicas; erat agmen IV millium equitum, tanti exercitus non ſuperfluæ vigiliæ. Subitò prælium tentant; pellunt loco hoſtem, nam parati in inopinatum venêre, quia verò non pro victoria certatum, omittunt cædem, captivum intercipiunt. Sed errore factum, ab alio milite rei ignaro frameâ percuſſus, ut ſubito exanimaretur, antequam eſſet interrogatus: At ſuffecit multitudo ſpeculatorum ad conjecturam portento ſi exercitus, inde diffidentia in Veremiam proditorem oriri, jam periculoſa notari: Provideret Ivonia (paſſim per caſtra ille rumor,) num fidendum eſſet Veremiæ. Ad eum rumorem reſpondiſſe fertur: Scio cui fidam; brevi numerus hoſtium patebit ſub aſpectum. Sic fiduciâ nimiâ peccavit Ivonia, fatis fors exitum ejus properantibus & ſubvertentibus ad ſalutem conſilia. Metatus caſtra ad propendentem à littore

tore Danubii lacum, præſidium caſtrorum à lacu, & opportunam aquationem ſperans. Poſtero die educit in campum militem. Erigebantur prope hoſtium caſtra collis ſublimior; arrepta præſidiaria cohorte ſubvectus eo erat Ivonia, hoſtem notare volens, verùm quia in declivi loco caſtra ſubſtiterant, nullâ ratione poterant conſpici; notavit attamen diverſis in locis ſpeculatores hoſtium, qui conſpectum Valachorum declinantes, certas per valles diſtrahebantur. Stratagemati vel formidini tribueris redit ad ſuos, totumque exercitum in XXX agmina per modica intervalla diſponit, aliis primum congreſſum, aliis ſubſidium imperat; media inter agmina diſpoſita tormenta, inde validior acies; peditatus ab equite ſemotus aſperioribus locis ſubſtitit. Turcæ de induſtria morabantur in caſtris, veriti, ne ſi primi in acie ſtetiſſent, Ivonia multitudinem conſpicatus ſubduceret ſe campo, vallum & foſſas, pro tutela quæritaret. Cum verò jam per ſpeculatores cognitum, Valachos aciem inſtruxiſſe, effunduntur in campum, ac ſub caſtris inſtructa acie, (ne à Valacho campi

pi Domino proturbarentur,) adversus in ordine progrediebantur. Ivonia moram prælii graviter ferens, cum diu sub signis stetisset, seu provocans, seu hostium multitudinem notaturus, additis equo calcaribus, aliquot thurmis equitum insectantibus, versus hostem cucurrit. En jam cooperiebantur campi Turcarum agminibus, gravis humo moles virorum in armis visa: inde fraus Veremiæ proditoris comperta, quem ad se accire jubet Ivonia; sed respondit ille: Tempus sibi ad Ivoniam remeandi non dari, prelium inituro; Interim occinere tubæ prælii imminentis signum. Tum Veremias proditor, ex pacto cum Turcis, jubet suarum turbarum signiferos vexilla demittere, pileos gladiis impositos (voluntariæ deditionis signum,) in altum levare, ac in partem hostium transire. Magna inde diminutio Ivoniæ exercitus, qua viros attinet, magna consternatio qua residuorum animos. Ivonia tamen vel desperatione audacior, adversis non porrexit manus; ab audacia petens auxilia; hos manu in hostem trudit, alios increpat, plus cædis in fuga restare ait, pugnantes raro,

raro, sæpius fugientes cædi. Turcæ Valachos misceri conspicati, movere adversus agmina, dedititios Valachos ante se propellunt, cunctabundos cædunt, ne barbaris in proditores clementia utentibus. Ivoniæ item par ira, totam vim tormentorum exonerare in eos imperat, sic partim à Turcis, partim à suismet cæsi, justa omninò proditionis recepere præmia. Profuit Turcis ea proditorum strages, quorum corporibus ac vulneribus tecti, sine nocumento ad Valachos pervenere, quare nec periculum tormentorum veriti, quæ in Valachos proditores toto impetu explosa. Poloni rem plenam periculi conspicati, uti dextrum tenuere cornu, in latus Turcarum paulatim circumverti invehuntur. Sensit hostis vim à latere, eoque fronte jam hebetior; adsunt item Valachi armis & manibus strenui, disjiciunt ordines, agmina turbant, Turcas cædunt. Non tulit iteratum impetum hostis, terga dedit seu metu, seu data opera; verùm utrumque in sui detrimentum. Tam subita hostium fuga insinuavit dolum Swiercevio, quare monet thurmarum Ductores, ut signa verterentur, posse sequen-

quendo in aliquas insidias duci militem, & quo longius à corpore exercitus amoverentur, eò plus periculi subesse. Nec vana suspicio. Cum pedem referunt Valachi, insidiatores ex occulto vallium prosiliunt, vano impetu, quo maturior sequentium regressus. Turcę recentibus insidiatorum auxiliis feroces, restaurant Ordines. Nec segnius providebat Ivonia. Instruxerat è fragmentis exercitus novam aciem, tormentis bellicis intro abditis. Dum Turcæ impetu propius invehebantur, aperiebatur ignita acies, ac tormenta ex inopinato in irruentes explodebantur, tum spreto barbari periculo, non per thurmas jam aut subsidia, sed tota exercitus mole, sublato clamore, undique Valachis circumfundebantur: mista gentium signa; jam Valachus, jam Turca sparsi per campum, magistri tormentorum ignari, qua hostis qua suus cursaret miles, incerti ictuum qua parte feriendus hostis, Ivonia, qui mediis semper miscebatur, veritus ne sui sparsim atque ideo faciliùs cæderentur, signum receptûs dari jubet, eam bellandi artem retinens & casibus intentus, uti sciret miles latum quo

quo fugitivus globaretur, facilius utique resumi vires, si non sparsim fugeret, simul Turcæ velut è composito pòst terga se recepere, adeo in illa atrocitate pugnæ vires viris, ferro sua vis, defuerat. Postquam utrinque ab armis cessatum, repentè ingentibus guttis fusus imber ac fumus, partim ictibus tormentorum, partim pulvis equorum ungulis motus subsedit: Reddita mox utrisque aciebus facies; Sed Valachus miserabilior; pauciores hi, & tormentorum igni tabula pluviâ perfusa ictibus inhabilia facta.

Ineunt eo armistitio Turcę opprimendi hostis consilium, quia multitudine abundabant. Placuit, ut per distinctas acies cum Ivonia congrederentur, nec respirium concederent, credebant lassos facilius ab ultimis & recentibus confici posse, quibuscum tumultuario impares forent. Illud sanè barbarorum consilium exitium Ivoniæ paravit; Jam prima, jam secunda acies fatigabat arma Valachorum, jamque tertia; eo audaciùs, quo rariores ictus tormentorum visi è Valachorum parte, ob defectum pulveris tormentarii, qui sanè superfuerat, verùm pluvia maditus, eoque mutilis red-

redditus. Interim reliqui Turcarum ex insidiis audaciùs procurrunt, Valachis instant; illi fugere, turbari, passim cadere cœptant. Non plures ex illo fervore belli superfuerant è Polonis, quàm CCL viri. His immixtus Ivonia, ad reliquum peditatum se recepit, carptim alloquens: Ut præsentibus animis reliquum periculi ferrent, ludere plerumque fortunam, ac victis patrocinari. Obtulere fidem Poloni; de victoria quidem desperandum esse ajunt, nec superbius vendicandum in desperatis fortunam; illud tamen optare, ne inulti caderent. Post eos sermones amovit Ivonia equum, peditibus se immiscuit, secuti factum à Polonis; capiunt inter se peditatus divisim officia; hi signa ferre, illi ordines ductare, Ivoniam sequi; ac quia tutiùs retrocedere visum, (Turcæ namque lassi aut huc & inde sparsi, tutiùs crediderant reparare ordines, quàm hostem tumultuariò sequi) in illa mora Turcarum amovebant se campo, ardua locorum quæritantes, tormenta ne hostium usui forent, ultra modum pulvere sulfureo onerata, periculum explosionis Turcis relictum. Non ultra

ultra mille passus ea die processit Ivonia, ob ingentem stragem cadaverum & lubricantem herbam sanguine. Ad noctem vergente luce conspicatus locum, ubi semiusta cujusdam pagi rudera extabant, aggeres illic elevat, quales defensioni castrorum sufficerent. Non eæ fossæ saluti exercitus tantum profuere, quantum error ducis obfuit, eo in loco castra metari, ubi nulli rivi, aut pauci ad extinguendam sitim extabant fontes, nec prius error in illa consternatione animadversus, nisi cum potum quærere miles, mox sitim incusare universi, plurimi exanimari cæptabant. Tum damnare suum consilium Ivonia, quod eo loci substiterat, jam de fortuna queri, ut sæpe, quod malo consilio facimus, vitium à nobis in fortunam transferimus. Potuit quidem necessitati subveniri, si tantum labori in fodiendis puteis, per cohortes distributi, quantum inutili indulserant querimoniæ, multis manibus multa & difficilia parari possunt, præsertim iis in locis, ubi infimè subsedere campi, nec alti sunt puteis fodiendis: verùm consternatio validissima quæque eludit con-

 silia,

ſilia, imò & metus, qui tum maximum in caſtris Ivoniæ dominabatur.

Nec dum foſſæ caſtrorum in contiguum circulum productæ erant, cum ſubitò aderant in conſpectum Turcæ; imparia hæc Valachis: hinc vix VII millia virorum reſtabant, illinc victor exercitus infinito milite fortis, campi dominus; Valachis intra metum, famem, ſitim ac modicas foſſas, ſalutem tutari grave omnino erat; præſertim cum Turca undequaque circumfuſus, villas caſtris Valachicis proximas incendio abſumeret, ne ampla incolarum prædia hoſti alimento forent. Tota ea nocte grave dominabatur incendium, ceſſerat obſcuritas noctis lucenti flammæ, illuſtrabantur campi; inde trepidantibus Valachis in tam aperto nullum effugium, aut nulla hoſtis per incurſiones invadendi copia, quod per obſcura & tenebras facilius patratur. Illuxerat dies cum Turca in acie viſus impetum in caſtra Valachorum parans. Diſponebantur editioribus in locis tormenta, quo media in caſtra globi commodius jacerentur; frontem occuparat pedes, pars ligones ad ſubruendum vallum portans, pars arcus,

arcus, ſclopos, pilos; omnia in necem, omnia in mortem. Equitatus latera cingebat forte intentus ad invadendum, ſi ultra vallum proceſſiſſet hoſtis, vel per dirutum ligone vallum, in caſtra Valachorum irrumpere paratus. Nec Ivonia cum ſuis imprudentior: certò certius ſperabat, ſe oppugnatum iri, qua parte verò caſtrorum, diè, vel noctu, incognitum erat; providit tamen, ut quæque cohortes ſuum pro vallo locum noſcerent, quocunque tempore ſignum armorum daretur, non expectato Ducis imperio, dictum locum occuparent, pro eo pugnarent. Prudens certe conſilium: evenit namque ſæpius ut inopinato hoſti non ſimus reſiſtendo, ſi tum de ordine & acie inquirat miles, cum hoſtis vallum ſcandit, inde tumultuatur in caſtris, paſſim diſcurritur, neque Imperator repentè ſufficit omni parti caſtrorum providendo, præſertim cum hoſtis una parte clamorem excitat, ac in ſpeciem impetus procurrit; à tergo verò aut à lateribus ſtrenuiſſimos quoſque per ſilentium ſubmittit, hinc ad clamorem à tumultuario milite concurritur, reliqua præſidiis nudantur; Unde

occultum imminet periculum. Sic tum eo consilio Ivonia rectè suis castris providit. Postquam summo mane sub signis visus hostis, ad arma conclamatum; cucurrit ad suas stationes miles, ac uno motu totus castrorum circulus justo ordine sub præsidium acceptus. Fuere item plerique Valachorum, qui medium castrorum armis tenuere, intenti, quas stationes fortiùs oppugnarent Barbari iis auxilium laturi. Moverat summo impetu ordines Turca, barbaro ululatu fortia suis, metum hostibus insinuans; Sed Valachi, quia omnes pedites erant, pro vallo pugnabant, nec intenti, ut sæpius sagittam globumve in hostes jacerent, sed ne frustra, non ad terrorem, sed ad necem cadebant passim Turcæ, eoque plures, quo pertinaciùs vallum subibant. Toto triduo ea strages afflixit Barbaros; difficilem igitur castrorum expugnationem rati, colloquium petunt, armis invalidi, verbis & fallatia subvertendo fortes. Spem majorem Ivoniæ restare ajunt in pœnitentia delicti, quàm ullis in viribus armorum; potius arbitrio Imperatoris se committeret, quàm tandem necessi-

cessitate, vel tædio defensionis dedi cogatur, tam pertinax defensio moram necis allatura erat, cum tandem pereundum esset, deditio spem salutis, imò ipsam salutem paritura, cum dedentibus se Mahometani parcere (sic illi ajunt) pro æquo habeant. Jam antea necessitatibus sui exercitus expugnatus erat animus Ivoniæ, tum verò magis ea oratione legatorum ad deditionem flectebatur, & peti, ut dederetur, in gloriam duxit, qui post alterum diem cogi ad deditionem præviderat. Tanta sitis Valachos vexabat, ut lintea per roridum gramen tracta emungerent, ac stillanti aqua in potum uterentur; verùm quantula ea potûs copia in tanta hominum & jumentorum multitudine? respondit ergo legatis: Eam sibi adhuc superesse militum manum quæ ad facietatem cædendo hosti sufficeret, vel si cadendum, omnino non inultos cadere posse; verùm cum tandem fortunæ dandæ manus, non abnuere deditionem, eam tamen certâ ratione & conditione, quę rata haberi deberet, septenove cujusvis Ductoris juramento probari. Tum legatos extra vallum pro-

proficisci, eaque Turcis referre imperat. Credidit Ivonia, septeno juramento posse firmari, quorum fides lubrica haberetur: ego verò arbitror, semper perjurum, qui aliquando fieri posse creditur; unica licentia in scelus opus esse. Proponebantur verò conditiones, ut residuum equitatum Polonicum cum equis & impedimentis abire paterentur, se verò vivum in potestatem Seleymi Imperatoris Domini traderent; De Valachis nolle pacisci ajebat, quos æquum servarent Turcæ, tributarios sui Imperatoris. Nil facilius quàm conditiones acceptavere Turcæ, nusquam acceptando difficiles, quas servaturi nullas; ac præsentibus legatis Ivoniæ septies militari juramento confirmavere pactum. Tum subvecti prope castra Valachica, Ivoniam ut reconciliatum & amicum egredi invitant: annuit illa, imminentis periculi haud suspicax, liberè egreditur, (erat ea dies XIV Junii) sequebantur per obsequium Poloni, carptim alloquentes, imò reprehendentes consilium, quod tam properè in deditionem consensisset; nullam fidem haberi apud Turcas, ac satius fuisse pugnando occumbere; quàm

quàm per fraudem tantum virum interire. Ivonia ad ea respondit, illachrymans: Malle se interire, quàm unius sui causa armis, fame, siti, tot millia hominum in exitium trahi. Postquam coram purpuratos venit, eos affatus: Quoniam Deo potenti visum est, ut potestatis vestræ fierem, obstringo vos fide, quam mihi militari juramento sanxistis, ne in hos paucul los Polonorum sæviatis, aut si aliquod vobis odium in hos, in meum caput vertite. Tum obversus ad Polonos, iis valedixit, dextram singulis porrigens cum osculo: O si manus hæ plures mihi forent, (subnectens) nemo Turcicorum canum his in campis viveret. Posthæc in Turcarum castra profectus, forsan inter colloquendum asperitate orationis barbaros offenderat, ut *à Bassa. Caputio* gladio transfoderetur, vulneratum *Janzarii* corripuere, ac semivivo amputavere caput, truncum corpus pedes tenus duobus camelis alligatum, discerptum, cruore profluenti ungebant gladios, Deo supplicantes, quo sibimet idem animus foret ad fortia. Is exitus erat Ivoniæ, viri, quoque velis, magni.

Oc-

Occiſo Ivonia, in Valachos, qui extra caſtra proceſſerant, impetum Turcæ dedêre, inſtar pecudum obvios laniantes. Poloni equites viſa perfidia Turcarum, non jam de reditu in Poloniam, ſed ut cum gloria caderent, inivere ſecum conſilium, tum mutuò ſeſe cohortati, expeditis armis, medios in hoſtes ſumma vi cucurrerunt, ubi plurimi pugnandò interiere, paucis admodum in poteſtatem barbarorum redactis, idque ſauciis. Vicit profundam Turcarum barbariem captorum virtus & admiratio, ut captivi (quod rarum in ea gente,) honori haberentur, multis pollicitationibus ad Mahometanos ritus tracti, nec tamen pertracti, cum ſe Catholicos vivere & velle mori ingenuè faterentur. Cum verò, Turcis paſſim eos in ſeorſivo tabernaculo (ubi ſub cuſtodia habebantur,) inviſentibus, mentio incidiſſet per occaſionem captorum virtutis, ac forte Turca per interpretem dixiſſet, in tota Polonia non haberi illis pares fortitudine & animo; indignabundi reſpondêre: Imo dixeris nos infimos Polonorum virtute & animo. Sic occaſus Ivoniæ finem

finem huic bello, & ego finem narrationis facio.

Multùm profuit ad ſalutem perturbatarum domi rerum ea paucorum virtus, idque terroris Turcis reſtabat, paucos Polonorum tanta feciſſe, periculum totam gentem irritari in arma. Prodigalior inde habitus Turca, amicitiæ in Populum Polonum, ut ultro Legatum mitteret. Sic Reſpublica iis à limitibus ſecura, tutius ægris domi rebus conſulebat; adeo minima quandoque aut malorum aut bonorum cauſa ſunt. Quo cum ego ad Hiſtoriam.

Uti in conventiculis particularibus pactum erat, die X Septembris celebrantur comitia Varſaviæ; Auditæ legationes variorum Principum, lectæ literæ ab Henrico Rege; à Marchione Brandeburgico, duce Pruſſiæ, Reipublicæ vaſallo; item à Maximiliano Imperatore Romanorum, quæ nihil curioſi inſinuabant, neque ego recito. Sed legationem Turcicam non intermittam, quę per interpretes linguæ Turcicæ, hiſce verbis, recitata: *Regem Poloniæ è regno diſceſſiſſe Seleymo Imperatori*

certum eſt, nullaque de reditu ejus ſpes. Nunciatum verò Cæſareæ Celſitudini, Imperatoris Germanorum filium ad regiam dignitatem optari; at notum optimè Dominis Polonis, Germanos ab initio hoſtes fuiſſe Turcicis Imperatoribus; etſi indicium amicitiæ oſtendunt, tamen id illos metu armorum Turcicorum facere certum eſt. Nequaquam fieri poteſt, ut more Polonorum Regum, amicitiam firmam erga nos teneant, quare convenit, ut Domini Poloni ad dignitatem è medio ſui aliquem eligant, qui antiquæ inter nos amicitiæ gnarus exiſtens, eam firmiter & inviolabiliter nobiſcum teneat. Audivimus autem inter vos eſſe ingenio, ætate, ſapientiâ vigilantiâque maturum quempiam virum, Koſtka nuncupatum, regio munere dignum, quem ſi idoneum judicaverint, eligant, aut ſi ille diſplicuerit, Regem Suecorum adſciſcant; ſin minus ille quoque arriſerit, Stephanum Bathori Palatinum Tranſylvaniæ, amicum ſuum, virum integritate, prudentiaque ſingulari ornatum, pacem & amicitiam colere ſcientem, in gubernatione regni ſapientem ac ſtrenuum, acceptare dignentur. Quorum quempiam ad regimen elegerint, promittit Seleymus Cæſar non eam benevolentiam & amicitiam ſe declaraturum fore, quam hactenus declaravit, ſed modis omnibus, auxilio quibuſvis neceſſitatibus regni Poloniæ, adfuturum, & contra quoſvis hoſtes opem laturum.

Tum è ſinu protractis binis literis, legendas obtulit Legatus, alias à Seleymo Imperatore, alias à Machmet Baſſa Veſirio ſeu Cancellario, utraſque in exprobrationem ſuæ in populum Polonum amicitiæ, & ab hoc in ſe offenſarum. Argumento belli Valachici & auxiliorum Ivoniæ ſubmiſſorum. Acceptavêre Ordines amicitiam Turcarum Principis, auxilia verò Ivoniæ neque ab authoritate Reipublicæ ſubmiſſa, nec item cadere poſſe in offenſam. De reliquo negotio mittere ſe in Turciam ſanæ integritatis Virum, Generoſum Andream Taranovium, nomine delegati, reſponſum.

De Rege Henrico quid eo tempore latum, literæ ſequentes docebunt. Cum enim multa interſunt, quæ me diſturbant, uti patricium & degentem in publico, nec continuo labore, ſed interruptum per otium, imò ad evitandum oblatum otium, hæc paucula Polonorum geſta ſcribo, fugio, quantum poſſum, difficultatem operis item & laboris, nec ſingulas res cupio meo veſtire ſtylo, præſertim cum aliena ſe offerunt ſcripta & diversè prolata, quæ vel me tacen-

tacente rem docere possunt, contextum Historiæ non disturbant imò augent, si cum fide, ut omnia soleo, recitavero. Scripsere igitur Ordines ad Henricum Literas, quarum tenor est:

Quæ fuerit universi Regni erga Majestatem vestram propensio, cum Rex à nobis electus & ex remotissimis Orbis partibus, in Poloniam accitus esset, non opus Majestati vestræ commemorare; siquidem eum in memoria habere existimamus, inter clarissimos Principes & Orbis Monarchas, Te omnibus illis competitorem prælatum, ut tibi libentissime vitam, libertates, & charissima quæque in Patria nostra pignora, concedere non dubitaremus. Et sperabamus nos quidem imperii tui moderatione, post illud interregni tempus luctuosum & difficile, quasi sole post obscurissimas tenebras elucente, Regnum Poloniæ splendorem suum recuperare posse. Fecissetque utinam Deus Optimus Maximus, ut expectationi de te nostræ, exitus respondisset, nec illa felicitas, quam ex imperio tuo conceperamus, intersecta esset tristi Reipublicæ nostræ casu. Discessisti enim à nobis, Serenissime Rex, patriæ nostræ, imò verò tuæ, corpus relinquens mancum, ita ut quasi per te capite diminuta patria, sine Rege suo, vitam ducat ægram, non mediocri dolore sese conficientem. Auget etiam dolorem nostrum, quod consilia discessus tui & dignitatem his concredidisti, qui privata apud nos observantia magis, quàm ulla fide publica tibi obstricti esse debuere. Nos tibi fidem nostram in prosperis, & adversis constantiam, sacramento dato obstrinximus, nobis præterea Te tuaque consilia concredere debuisti. Nos enim pro tua gloria, pro salute, pro acquirendo non modo Paterno regno, quod à Deo naturaque datum amittere nullo modo potuisti, sed etiam pro alio quovis imperio consequendo, vitam devovissemus, Te & tuam fortunam comitando. Legis annales nostros? fidem Poloni erga suos Reges deseruere unquam? Polonorum nomen machinatione contra suos Principes sinistra contaminatum non est. Revocandum est illud in animum tibi: Quam primum tibi de obitu Christianissimi Regis Caroli IX, fratris tui, fama in Polonia pervulgata fuit, tuaque fraterna viscera ejus morte non mediocriter commota vidissemus, scis, non magis te, quàm Senatum & universam Poloniam acerbissimo casu mortis illius perturbatam extitisse, quasi Rex noster mortuus esset; ita mortem illius indoluit Polonia; &c. &c. Qua nos Patriæ amor, quo periculorum metus, & consiliorum ratio vocabat, Varsaviam convenimus universi, ut

ut orbitati patriæ, paci & securitati publicæ consuleremus. Et caput quidem deliberationis nostræ hoc fuit unicum, ut Regem haberemus in Polonia, cujus authoritate pax interna & externa tranquillitas retineretur. Omnes Te hic Regem requirebamus, sed quem alloqui, intueri, quo cum agere possemus, habuimus neminem, quasi igitur sine Rege essemus: ista omnium opinio & sententia. Est certè verum, quod tibi scribimus, Serenissime Rex; non defuisse nobis animos, non occasiones, & commoditates, non etiam causas, ut patriam sanaremus, liberas voces ad eligendum nobis alium Regem convertere, & spretæ patriæ ignominiam periculaque imminentia novi Regis electione detergere; sed natura constantiaque nostra vicit necessitatem eam, nec id quidem sine periculo, ni sequamur, donec à te sciamus, an ad nos redire nobisque semper præsens imperare velis. Voluntatem quidem tibi non deesse quis est qui dubitat? Regia virtus tua & natura non Septemtrionis fortasse modo, sed regnorum aliorum quoque imperium animo agitat, sed voluntatem multis fortasse cogitantibus occupatam aut temporum necessitate distractam non vult Polonia cum suo malo experiri, te longum tempus expectando. Vis igitur Rex noster esse; venias quamprimum in regnum hoc, cape Sceptra semel tibi data, accipe gladium

gladium regalem, quo nos defendas à vicinis hostibus, quorum arma jam personant in auribus, micant in oculis nostris ex Valachia, Scythia, Moschovia gladii. Ne verò longâ incertave adventus tui expectatione nos suspensos reddas, & cunctatione tua regnum majoribus periculis involvas, id tibi denunciamus, quod pro salute Patriæ nostræ facimus, quod tibi tempus in Poloniam redeundi assignavimus. Hoc autem est Serenissime Rex, quatenus adhuc humeris nostris pondus periculi hujus sustinere nos posse arbitramur, & te ad nos commodè ex Gallia in Poloniam pervenire posse judicamus; Diem duodecimam Maii proxime venturam, esse scito (pro quo etiam tempore Comitia Magna decreta,) cum quibus te universa Polonia expectat. Si verò (quod à nobis utique longè abesse cuperemus,) ad nos venire non potueris aut tardaveris cum nostro summo dolore, tibi dictum nunciatumque esse volumus: Non posse nos (quod cum gratia tua dicere liceat,) sine Rege, sine lege vivere. Conversis ad Deum animis id faciemus, quod ad incolumitatem & salutem Patriæ nostræ pertinere videbimus. Jamque ab eo tempore si non veneris, salva tua gratia honoreque nostro, obedientiam & fidem datam tibi renuntiamus, & novi Regis nobis electionem indicimus. &c. &c. Eritne amplius Polonia sine Rege salva?

Mini-

Minime gentium Serenißime Rex. Regem habeamus oportet aut te aut alium, quem nobis fata & Deus jam dudum prospexerunt. Durum est telum necessitas, quâ ducimur, ut si præsens nobiscum manere non velis, alium qui nobis imperet, eligamus, te id ægrè minime ferente, imo collaudante studia nostra, conservandæ Patriæ cupiditate tantopere incensa. Neque dubitamus Serenißime Rex, si ita Deo & tibi videbitur, ut Rex noster esse amplius non posis, quin nos & regnum hoc in tua gratia & benevolentia retineas, gratus memorque nostri erga te studii & observantiæ, quæ tibi omni opera comprobare studebimus, ut intelligas erga te, etiam non regnantem, apud nos non destitisse studia, quin imò duratura esse hæc omnia quamdiu in animis residebit tuæ erga nos gratiæ & benevolentiæ materia. Quod superest, commendamus nos in gratiam Serenisimæ Majestatis vestræ, Deumque precamur, ut Majestatem vestram diutisime servet salvam, ad perpetuum Christiani Nominis gloriam & salutem conservandam. Datæ Varsaviæ ex Congregatione Statuum & Ordinum Regni generali, die XVIII Septembris, Anno MDLXXIV.

Non aderant huic conventui Ordines Magni Ducatus Lithvaniȩ, quia tardius conveniebant, aut convenire noluerant, quod non per primatem (pro more) convocarentur, verùm ab authoritate paucorum Conventuum provincialium, utpote Cracoviensis, Posnaniensis, Sendomiriensis Palatinatuum. Damnosum quidem mansit in posteritatem exemplum, authoritatem primatis à paucis usurpari, sed periculum Reipublicæ prævaluit, cum præsertim interrex impar esset tuendæ Reipublicæ, & segnis admodum in prævidendis malis: censura tamen illius conventus & authoritas mansit penes titulum primatis: Discessere Ordines ex eo collegio inter vota metumque, cum Regem redire è Gallia optarent universi, ac metum incuteret difficultas novum quærendi, ni paratus rediret. Hinc videre est, quàm feliciùs sit Principem eligi quam nasci; cum Polonia avidius electum & absentem sibi repeteret, quàm Gallia hæredem, & præsentem retineret inter tumultus & odia. Tutius item erat ipsi Henrico in electivo imperio non absolutum medios inter incolarum honores & amores vivere, quàm absolutum periclitari & postea occidi. O quantum accubat absolutæ & superbæ potestati periculum, ut cum

cum in summo ac tutissimo stare videantur, profundiori parentur præcipitio. Allatæ interim literæ ad Archiepiscopum Primatem ab Henrico.

Reverendissime in Christo Pater, ac Domine, sincerè nobis dilecte; Constitueramus nos quidem celeriùs ad nostrum regnum Galliæ pervenire, ut non solum de hujus, sed etiam de illius (à quo nunc discessimus) regni nostri salute tuenda, rationes & consilia citius inire potuissemus; sed ita fieri oportuit, cum nostra & regni hujus causa, tum amicorum Principum, quorum favoribus & benevolentia erga nos singulari (quam in transitu nostro per suas ditiones uberrime declarârunt) dandum fuisse aliquid, ipsa sinceritas Vestra intelligit, quod etiam hactenus absentia nostra regno nostro Poloniæ nullo sit damno facile nobis persuademus. De pace undique nobis comparanda, omnem operam adhibemus, ita ut bona spe simus, nos non modo saluti regni illius, sed etiam dignitati nostræ in tuendis vobis, Dei auxilio satisfacturos esse; modo & vos ipsi tam Senatorius, quàm Equestris Ordo à discordiis domesticis & factionibus, quæ semper regnis & Rebuspublicis omnibus exitiabiles fuere, abstineatis. Hoc enim certe apud sinceritatem vestram taceri nullo modo potest, nos vehementer mirari, quod tu Reverendissime Primas, conventus illos in regno illo nostro sine authoritate nostra fieri permiseris, neque (si te irrequisito ad eos descensum est) eis te opposueris, cum hoc & authoritati nostræ regali, & juri communi Reipublicæ illius adversetur. Non enim ad interregnum Respublica illa (ad cujus regimen à Deo vocati, & à vobis omnibus electi sumus,) devoluta est. Solo verò interregno tam conventus quàm lustrationes armatas eo modo de jure fieri posse consideramus. Non est itaque nobis gratum, quod in ea parte à te & authoritate tua Primatis desiderari patiaris. Quod non ideo scribimus, quod ingrata sit nobis regni illius nobilissimi libertas, quæ nobis charissima est, & quam nos non tantum, uti accepimus, manutenere ac conservare, sed etiam augmentare volumus; sed res mali exempli est, & quia nihil ad evertendam eam ipsam libertatem vestram efficatius esse poterit, vivente Rege & sine discrimine vestra (per Dei gratiam) eo ipso neglecto ac præterito, aliquorum privata authoritate & studio conventus indici, lustrationes armatas haberi, in extrema tantum necessitate, cum vel hostiles exercitûs in proximo essent, vel quia pericula imminerent, lex & natura ipsa id fieri permittat. Sed cum pericula absunt,

ea ipsa res maximo est toti Reipublicæ periculo, ut interim authoritatis nostræ regiæ, (quæ favore ac benevolentià vestrà collata est nobis,) offensionem taceamus. Nos hic in primo limite regni hujus nostri maximam curam rerum vestrarum habemus, ac jam primo quoque tempore Oratores nostros ablegaturi sumus, qui vobiscum omnibus de rebus consilia nostra communicabunt, & tam de reditu nostro, quàm de cæteris, quæ ad pacem & salutem regni illius nostri pertinebunt, vobiscum agent. Intera à vobis Oratores vestros, de quibus vos aliquoties admonuimus, expectamus, qui ut otius ad nos venire possint, sinceritas vestra pro sua authoritate, quæ illius est ac esse debet maxima, operam dabit. Plura ex Generoso & Nobili Joanne Farzynio Dapifero & aulico nostro sinceritas vestra intelliget, cui fidem habere velit, postulamus; & tandem ipsam bene valere cupimus. Datæ Lugduni XIV *Septembris Anno Christi* MDLXXIV.

Annus Christi MDLXXV.

HIeronymus Rosrazevius & Thomas Drohoiovius, Legati è Gallia, tulere responsum, quo significabat Henricus, benevolentiam

tiam & constantiam suam erga Regnum Poloniæ non oportere temporis & dierum mensura circumscribi, imò otiùs quàm (Ordinum decreto dicta) reditum suum vocaret dies: Se velle in Poloniam remeare, modo rebus Gallicis tutum provideret. Hæc partim per responsorias literas, partim per oratores conventibus provincialibus Rex insinuavit. Interim tamen Poloni sua egere, diem XII Maii variis sermonibus excipientes, alii Henricum brevi visuri in spe; alii de novi Principis electione anxii; cæteri quidvis tempus tulisset æque laturi, diem præstolabantur; Omnes tamen avidissimè Stensycam confluebant.

Illuxit dies XII Maii, ac Ordines, ut pactum erat, in circulum coivêre aut regem salutaturi, aut novum quæsituri. Oblatæ in Collegio Henrici literæ, præcursores ut apparuit adventantium Legatorum, & paucam moram adventus requirentes. Lecta item Ducis Venetiarum epistola omnis officii plena; ejusdem humanitatis ab Amurathe Turcarum Imperatore (is enim Seleymo Imperatori, post decimum imperii annum exactum, recenter

 suc-

ſucceſſerat,) oblati articuli Pactorum conventorum per Andream Taranovium è Turcia redeuntem. Præcipua horum fuere capita.

Hoſtes amicoſve Polonorum & Turcarum eoſdem eſſe debere.

Ne in deſertis campis tribus, inter Boriſthenem, Tyram, Neſtrem, Hyppanumque (vulgo Boh fluvios jacentibus fortalitia excitarentur æquè à Regibus Poloniæ ac Cæſaribus Turcarum.

Ut præterea ſecurum eſſet Mercatoribus utriuſque imperii ultro citroque commeare, ut de damnis à prædonibus cujuſcunque gentis ſibi illatis, apud gubernatorem loci proximum inquireretur.

Ne præterea Tartari (Hordæ dicti) Crimenſes, Præcopenſes, Nahaienſes, Ozienſes, Bialogrodenſes, Tehynenſes, Elienſes damnum terris Polonorum inferrent.

Tum ut Mancipia, juſto ſoluto lytro, ſine impedimento Legatis redimi liceret. Si verò in finibus Polonorum aut Turcarum contra conditiones pacis aliquid tale fieri notaretur, non illico pacem violatam haberi debere, ſed prius per internuncios negotium rei examinandum; &c. &c.

Audiæ præterea legationes Alberti Friderici,

ci, Marchionis Brandeburgici, Ducis Pruſſiæ; item ducis Curlandię, (Vaſallorum Poloniæ) partim in collegio Senatus, partim coram Equitibus, (plenus enim Ordinum conſeſſus & honos, ſummis Europę aſſervatur Regibus) qui utrique Reipublicæ fiduciarii aut quaſi cives, locum ſibi aſſignari in Senatu petiere, ut de ſumma rerum diſceptarent in commune; verùm ab utroque collegio negatur. Inſcripti quidem regno Principes, ſed externis moribus viventes externa vota & ſtudia ad Rempublicam allaturi erant. Cum pręterea ęqualibus nobilitatis titulis in Republica eſt compoſita libertas, Duces conſeſſuri in Senatu, vel ob ignoti nominis opinionem, ſententiæ impoſituri pompam videbantur, non quod domi deeſſet par Optimatum honos aut poteſtas, ſed quia in externa facilius conſentiret admiratio.

Dum hę legationes audiuntur avidius expectabantur Henrici Oratores nova allaturi; ſed quia tardius adventarent, ludificari credentes Poloni ad electionem novi Regis ſerio properabant, licet Deſpeſeus, nomine Henrici in Polonia degens, ac pro ejus jure excubans, novæ

væ electionis ſtudia morari conabatur; Polonis non tuta, (ni expectarentur Legati) Henrico incommoda, oſtentans.

Diſputatum inter Ordines; expectandi eſſent Legati? Expectandos magna pars cenſuit, contra authoritatem Ordinum & conſilii fieri de abſente ſententiam ferre; judicaturum Orbem; Polonos libentius aucupari occaſionem mutandorum Principum, quàm conſilia & modos retinendorum, aut ſi amor ſibi ineſſet novorum ſæpe Regum; vel de cauſa expectandos Legatos ajebant, quibus præſentibus novæ Electionis inirentur auguria, ac cum honore reportaretur in Galliam Ordinum Decretum; Salvi nempe Henricum Polonis præſtito juramento, & Polonos debita erga obedientia, non verò cum repudio & ſine ordine, per inſolentiam magis, quam per neceſſitatem. Salubre quidem eſſe mutare principem, qui per abſentiam non poſſet commodè regnare: item periculoſum offendere, cujus ob potentiam vel magnitudinem animi & auſus formidabilis eſſet hoſtilitas. Cæteri contrarium ſensêre: Nobis tacentibus, tempus decreta de Henrico tulit,

lit, imò illa dies XII Maii, qua hoc conſilium ingreſſi ſumus, Henricum Regem noſtrum viſuri, vel ut non noſtrum non viſuri, in minimis hominum negotiis cauſas prætexi poſſe, in adipiſcendo regno nullas, quod maximam rerum humanarum eſt. Cur expectemus Legatos è Gallia? novane illaturi ſunt? imò certè inveterata; Henricum nempe de neceſſitate regno hoc exceſſiſſe, nec adhuc redire poſſe. Audivit ſub abſentiam noſtrûm Reverendiſsimus Archiepiſcopus Gneſnenſis, cum aliquibus Senatorum, legationem Henrici, quid aliud intellectum? quàm trahi de menſe in menſem, de anno in annos tempus. Ab humanitate foret alienum, ſi una alterave dies aut alter menſis moram poneret itineri, Henricum non opperiri, ſed quia ea mora Legatorum eſt, cur nobis non providemus? Minima momenta Reipublicæ gravia ſunt; ac ut morbidis in corporibus delicatiſsimi ſenſus ſunt, ſic Reſpublica quo diutius ægra jacet, plus horæ unius malis afficitur, quam antea menſtruis. Nequidquam ſic (uti nonnulli falluntur,) ſtatuetur in abſentem Henricum, aut, quod abſit,

in indefenſum; ſumma & caput erat defenſionis; adveniſſe. Quia intermiſit, tacitus de ſe judicium tulit, vacillare præterea vim confœderationis, in qua parte malorum ponimus? peſſimum eſt & damnoſum. Nos qui liberi ſumus, non manu aut aliqua vi huc & inde trahimur, ſed mutuo aſſenſu, ſed in bonum excogitata ſponſione, cujus vim vacillare interregna prorogare eſt, quid ſtabile futurum? ſi quod ſpopondimus non ſponſum, quod ſcripſimus non ſcriptum, quod approbavimus non approbatum velimus? quovis in more, quavis in lege, prima licentia periculoſiſſima: primùm legem ſi violaveris per ſcelus & licentiam factum creditur, ſecundò familiare habetur. Liberum quidem nobis, Varſavienſem confœderationem ſolvere, & Henrici adventum contra pactum confœderationis opperiri; ſed ſimul nocivum, & plus exemplo poſteritati nocebimus, quàm Reipublicę per licentiam proderimus. Indicantur mutuo aſſenſu ſub interregnum Comitia, ni eum conſenſum rumpi ſacrilegæ audaciæ credamus; Verum poſſe ſuo loco moveri, novo exemplo doceamus; ſæpius convo-

convocabimur, ſæpiùs non aderimus perditâ mutui conſenſus authoritate. Per eos ſermones aliquot dies conſumpti. Proclamatum ergo Henricum, Regem Galliarum, pro Rege Poloniæ non haberi. Tum novæ electionis dicta dies VII Novembris, nam Ordines ad conventum confluxerant, potius in ſpe viſendi Regis, quàm abſentem abdicandi, ad novam electionem minus parati, vel (ut certè credibilius) trahebatur novæ electionis tempus in terrorem abdicationis, & citerioris reditus occaſionem; Verum cum nihilominus Henricus moram ex mora necteret, inter amorem Poloniæ retinendæ, & metum perdendæ Galliæ, cui mederi niſi præſens poterat. Poloni ſerio novæ ſe electioni accinxere. Neque Henricus poſtea vitiavit ea Polonorum ſtudia, ſeu gentis condonans libertati, ſeu propriæ authoritati, cum ſpontè cedere jure regni plus honori duceret, quàm ſibi adimi, quod retinere non poterat. Hæc intra Rempublicam geruntur. Significatum interea à finibus Podoliæ ingentes Tartarorum exercitus in Podoliam inferre ſigna & arma. Datum

 nego-

negotium à Republica Sieniavio, pro defensione limitum obviam eundi: operosum erat exercitum dimissum per stativa tumultuariò colligere; ferentarii tamen equites, qui ad manum erant, magnis itineribus in excubias ire jussi. Certam mox tulère illi magno de hoste famam, jam à conjecturâ prodeuntium è sylvis ferarum & avium assurgentium, (quę in desertis camporum, ut procul ab homine, sic à metu frequentius prolificant aut nidificant, sic adventante tumultu quietiora petunt,) jam interceptis ab excubitoribus hosticis. Erant millia LXXX Tartarorum. Commonefacti Ducis per literas strenuissimi civium, ut pro amore Patriæ adessent in subsidia, parvam sibi esse mercenarii militis manum, inopinato hosti resistendo. Alacres illi & in occasiones boni nominis intenti, trecentis partim equitibus, partim peditibus, alii quingentis stipati & ultra, in castra publica confluxere: solus Palatinus Voliniæ duxit in subsidium MMCC milites; His ex fragmentis privatorum subsidiorum, contrahebatur exercitus, abundè sufficiens pro-

propulsando hosti. Ad deterrendum hostem juvit dexteritas Palatini Kijoviæ, (uti ea nobilibus inest virtus, qui in periculis Reipublicæ subitarii sunt, seu consilio seu armis, etiam non vocati,) sic ille Palatinus aliquot millia Cosacorum Ciroviensium, Circassiensium, Kanioviensium Boristhene devexit. Forte verò Tartari ripam Boristhenis propè castra posuerant, quod Cosacis ex inopinato à tergo adventantibus ad invadendum opportunum erat; quare relictis superiori ripa navigiis, per occulta arbusta, per submissam humum, & valles furtim progressi, clamore excitato partem exercitus invasere. In paucos (ut in tanto numero Tartarorum potuit,) grassavere cæde, in omnes metu, quod certè penes potentiam hostium suffecit, ad victoriam Cosacorum impares lacessere. Arripiunt interim arma Tartari; sed citius acceleravère receptum ad suas scaphas Cosaci, inde sequentibus supervacaneus labor, declinantibus tutus receptus.

De Cosacis mentio facta & fiet hoc in scri-

 pto

pto sæpiùs; quod genus militum sit, dicere expedit. Est rustica collectitia gens robusta & fortis, plus arma quàm aratrum colens; sunt autem legionarii & soluti; Legionariis aut conscriptis Respublica certos divisit agros & scripsit privilegia; unde privato commeatu bellis adesse tenentur per Duces evocati. Scripta in hanc militiam VI virorum millia; jam solutorum ignota nobis domus & mansio, castra tamen & locus armorum nota sunt; æstate per insulas & ostium Boristhenis visuntur, hyeme huc & inde per vicos oppidave dilabuntur: Vitę ratio est, feris sclopo & retibus insidiari, prædas in Scythas Turcasve agere: Ducem, quem sibi eligunt, habent; authoritatem tamen Reipublicæ suspiciunt, ad bella pro subsidio vocati adsunt, nec leviter officium pręstant; Arma illis, arcus aut sclopi, sed hi frequentiùs. Insueta bellandi ratio; audaciâ, tumultu, media malorum patientia hostem vincunt, cum minus sperantur adsunt, ac inter inopinata maximùm metuendi: Imbre turbida nox, tenebris obscura, quo tempore bestię cubilibus se continent & quiescunt, illis per conticinium invaden-

vadendo accommodatissima, licet non invadunt, quietem tamen castrorum turbant, alia parte clamorem excitant, altera insidiantur; periculosissimum verò, quia multa per stadia furtim proni inter gramina rependo castra invadunt, & sæpius fallunt excubitores; Sparsim & sine ordine pugnant, illud tamen servant, ut signo dato medio in prælio uno veluti motu in globum coëant. Aggeres cum gradiuntur elevant, ut cum cadere opus sit, eo se recipiant, inter fossas emnus rem acturi; frontem ictus dirigendi certissimi, terga rudes occupant, alios atque alios sclopos onerant, jaculando præparant, primis porrigunt; hi verò jaculari, hostem ferire conantur, certi autem ictuum cum minimas volucres jaculo quærunt, & habent; parva iis castrorum impedimenta, carros secum trahunt magis pro defensione, (vulgò Tabor) quàm pro commoditate & deliciis castrorum, quibus interclusi pro vallo utuntur; sic contra equitatum mediis in campis tuti, nec facile disturbantur; in itinere fluvios nulla difficultate transeunt; tranant enim super utres, (vel sine etiam,

etiam, armis tergori superpositis, aut Equorum tranantium caudas præhendunt, impedimenta item miris inventis transvehentes, super fasces arundinum aut sepes colligatos, aut rates. Hæc de terresti Cosacorum militia: de maritima (cujus peritissimi) majora sequuntur. Boristhenes fluvius è Moschovia profluens, aquis rapacissimus & altus, mari Euxino propinat, prope ostium & labra medio insulas intercipiens, totus fluvius navigabilis, sed interrupto tractu, infra ingressum fluvii Samaias per duodecim *Porohos* (qui gradus seu obices dici possunt) descendit, naturâ rapido flumini insultante ac rupes objiciente. Incredibile est, hominem sine nocumento illac transire; nonnulli graduum aliquot ulnas alti, unde impetu decidentes aquæ, inter se colluctantur, jam in fundum revolutæ, jam in alto spumantes, undarum iras loquuntur; Cosacis descensus est sine nocumento; & exinde apparet, audaciam & ausum periculis posse imperare. Cum mare ascendunt, tempestate superveniente, arundinis cumulos lateribus navigii undequaque alligant, quo flucti-

fluctibus irati maris facilius supernatent. Navigiis utantur parvis, quæ LX virorum cum justo commeatu capaces sunt, celoces aut scaphę dici possunt; velocissimè sequuntur & fugiunt. Turcis damna inferunt, suburbana aliquando Constantinopolitana invadunt; (inde Amuratis Turcarum Imperatoris dictum erat, cum inter arma Principum in se conspirantium Constantinopoli degens, in utramque dormiret aurem, solos Cosacos esse ejectamenta Polonorum, qui tanti Principis turbarent somnum) civitates & oppida Pontho littori proxima populantur, furtim omnia præstant, neque dum pugnandum fortius resistunt: Numerus horum militum incertus est, visa sunt aliquando XVIII, aliquando XXX, millia: quod moderna rebellio Chinelniciana, ultra ducenta millia Cosacorum sub signis aliquoties eduxerat in prælium, totâ Russiâ in perfidiam ac rebellionem actâ: Hæc obiter de Cosacis dicta sint. Non verò, quisquis hæc leges, vitio Scriptoris aut Historiæ, sed potius dabis tuo commodo, recitasse me hîc

 mo-

mores, virtutes, vitia Populorum, partim legum & consuetudinum, sparsim explicasse sensum; facilior enim uti mihi posterior futura narratio, sic tibi obveniet lectio; neque enim ampliùs causam requires tacitus à Scriptore, quare hoc illudve in populo factum leges, dum probe cognoveris, morum legumve naturam, quid intendant, quid pariant. Sed Historiam interim sequamur.

Dum Cosaci tam pulchro ausu Tartaros vexant, publicus interim miles terrestri itinere versus eosdem properabat. Movere item Tartari signa in interiorem Podoliam. Erat propè Oppidum *Sieniawa* nomine, quod tumultuario accursu occupare statuerunt. Ingens verò Tartarorum bellandi flagitium est, quia armis venenatis, imò pugnant & veneficis; tum verò artis veneficæ potentia usi, excubitorum diligentiam ita fefellère, ut in oppidum sine noxa irrumperent, arcemque jam jam expugnaturi. Sed bono loci fato Polonus approximaverat exercitus. Datum subinde negotium ab armorum duce duobus fratribus Strussiis, cum suis thurmis hostem invadendi; tum illi paten-

patentibus portis in oppidum irrupere, prædę, neci intentos Tartaros, nil minus quàm nostratium adventum suspicantes, trucidavere obvios. Sed plurimi, quaqua poterant, fugerant. Per hos in sua castra delatum: adesse ingentem Polonorum exercitum & fortem; Tartari verò, qui non pro victoria, sed præda certant, difficulter evocantur in prælium, dum sint periculo prædam quærunt, vel si coacti descendunt in pugnam, medio in conflictu cedere pro stratagemate habent, plus nocituri, quàm dum certant per statarias acies: Quare integris ordinibus sequendi; nam fugiunt, redeunt, assultant, omnia uno motu pręstant, cum periculo sequentis; Arma eorum sunt framea & arcus, frameà cominus, arcu eminus feriunt, in pugna desperatione armantur, cadere malunt, quàm captivari, nusquam Tartarum vitam orantem visum, nisi manu captum & ligatum; dum arma perdunt pugno feriunt: optimi milites, dum pugnare proponunt. Tum verò, dum rescivere Polonos adesse, retrocessere. Nostri autem Duces, quorum maximum negotium est Tarta-

ros offendere in campestribus, & cogere in prælium, læti hostem propè adesse, ignari fugę, imperarunt velocissimè proferri signa, sed postquam properatum, nulla hostilia castra, quàm castrorum repertus locus, ferentario tamen equiti datum negotium sequendi & carpendi hostis. Sed Tartari per invia sylvarum dilapsi, offendi non poterant. Jactabatur inde in Patrias usque sedes Tartaros abscessisse. Tum exercitus in stativa dimissus. sed falsa securitatis credulitate; nam hostis in sylvis latuit, dudumque non apparens, quieta nobis insinuare, tuta sibi parare voluit. Cessit hosti dolus, maximo nostrarum terrarum detrimento, postquam sparsa per Podoliam aliosque limitaneos Palatinatus, securitatis fama, Tartaros fugisse. Jam ultra munitiora loca discurrere colonus, jam in campum exire arator. Interim Tartari signo dato castra restaurant, sine obice quæque obvia vastant. Maxima ea fuit per Podoliam clades, adducta in captivitatem XVIIII millia utriusque sexus hominum, pecudum ultra XXXX millia ab-

abacta. Hinc videre est, quàm difficilè hostis debellatur, qui ad pugnam quæritur, ac quàm nihil tutum ab eo, qui nisi prędam petit, de gloria non sollicitus. Intra has difficultates Barbarorum telis objecti Poloni Christianum Orbem defensamus, non pro libidine imperandi, causas belli & conflictuum quęritantes, sed verè pro fide, pro salute justa habemus arma. Turca nobis hostis gravis; Tartarus prædo & vastator; Moschus plusquam Tyrannus; ni certè vincimus (quod per Dei opem penesque justitiam armorum familiare,) captivamur, ligamur, comburimur. Hæc omnia pro tua salute, Europa, sinè murmure ferimus, modo tu beneficii sine murmure grata. Gravis accidit Polonię ea per Tartaros clades, verùm gravior sine rege mora, & intestinarum factionum conflictus.

Prima Comitiorum dies omen erat, in malum dissensuri populi. Varia & sine ordine in medium proferebantur; itum tamen pro quorumdam dexteritate, malo cœpto obviam. Proposuere in medium: Multa esse & varia, quę proferrentur in publicum, nec videri ser-

ſermonum finem, ac deſperari de electione. Dici potius oportere ſuam cuique negotio diem, item & electioni. Arreptum ab omnibus pro rei novitate conſilium, ſed verè efficax; apertè enim viſum, omnes ſententiis tumultuari, nec explicari poſſe. Tum placuit ſextam diem negotio electionis dari; validis altercationibus ſic poſitus obex. Ea die intromiſſi in collegium Legati externorum Principum, Imperatoris Romanorum, Regis Sueciæ, Palatini Tranſylvaniæ, Ducis Feranenſis, & aliorum. Horum longæ fuere Orationes & ornatæ, ſed in unum finem collimantes, ut obtineretur regnum. Sequentibus diebus conſultatum de eligendo Rege. Senatus major pars unicum votis quæſivit Imperatorem, cum pacto tamen, ut Erneſto filio nuberet Anna Princeps, ſoror Sigiſmundi Auguſti, cujus tutela penes Rempublicam erat; Reliqui Senatorum intra Poloniam Regem quærendum cenſuere. Tum ſeceſsit equeſtris Ordo, ſuam de Rege ſententiam laturus, ſed diſcrepavere Equites à ſententia Senatus; paucisſimi pro Imperatore ſententiis pugnabant; Omnes

Omnes reliqui alium potius eligendum ſuaſerant, quàm ab Germania Auſtriacum, eoque impetu ac fervore rectà ferebantur in Senatum cum ſententia. E medio ſui Regem eligendum; nullatenus ſe admiſſuros Auſtriacorum & Germanorum in Populum Polonum imperium. Graviter ea accepit Senatus, item gravius, cum audiebantur Equitum voces: Quicunque è Senatu ab Auſtria nollet Principem, in Equitum ſuccederet ſeſſionem. Reperiebantur non pauci Senatorum, quibus Auſtriacum Regimen haud gratum erat; contra authoritatem tamen & prærogativam rati moveri ſenatorem loco; quare ad eas voces aſſurrexere nulli, aliter rem acturi. Poſt ſeceſſum Equitum conſultatum in Senatu quid facto opus foret, hinc authoritatem, illinc eſſe potentiam, verbis potius quàm pertinacia agendum. Miſſi ſex primi Senatorum, qui partim authoritate loci, partim ſuaſu ad faciliora flecterent motam nobilitatem. Ivere ii ac immiſſi mediis Equitibus, Tum Palatinus Cracovienſis ea pro Senatu coram verba fecit:

Seceſſiſſe vos in partem, Honorati Equites ac confratres noſtri, miratur Senatus; ſentit Reſpu-

Reſpublica, viſum aliquando in hac Republica ſententiam Senatus à ſententiâ veſtrûm diſcrepaſſe, non quod aliud quàm vos vellet, una enim nobis Reſpublica & una libertas eſt; ſed quod hoc & illud tutius fore è Republica crederet, item vos hoc vel aliud, uti in quaque deliberatione diverſæ ſint oportet ſententiæ, ac ferè in contrarium opponantur, antequam pateat veritas, ſæpe quoque nos diu diſputantes in unam Reipublicę concordavimus ſalutem, verùm nunquam exacerbatis animis diſceſſimus, ſententias ſententiis oppoſituri, non viros viris. Ecquid ſibi illa verba volunt cum proclamâſtis: Qui vobiſcum eadem ſentiret vos ſequeretur. quàm in parte novam Rempublicam facere, contemnere authoritatem Senatus; Non (credite mihi,) nos, ſed Rempublicam, ſed voſmet, qui pars eſtis Reipublicæ, contemnitis, nec ſalvi omninò eſſe vultis, ſpreto Reipublicæ ordine. Scilicet nos aliquid facere poſſumus ſine vobis, ac vos Equites ſine Senatu; Membra operi non ſufficiunt, dempto capite, nec caput factum aggreditur, ni membra

ſint obediendo; manendum nobis inſimul eſt. Diviſit nos Reſpublica loco & conclavi, non tamen animis ſeparari voluit; imò, inquam, in vobis eſt ſeminarium Senatus. Nos ad ſellas Curules è medio veſtrûm vocati ſumus, ac vos loca eadem inter nos manent, dum pro virtute legemini. Vultis intra incolas Regem quærere? nos in Auſtria. Damnatis noſtrum conſilium? item nos veſtrum; ac ſi (credite mihi) utrumque à tertio damnandum foret, plus reprehenderetur veſtrum; utique memoria tenetis, cum ſub electione Henrici quidam Ordinum pro incola Rege vota ferrent, aſſurrexeramus omnes, nequaquam eam electionem paſſuri, multaque ratione vos in ſententiam traximus, dum apparuit ultimum liberis Polonis imperaturum Regem, qui indigena imperaret. Auſtriacum eligere quid terret? antiqua & potens domus eſt, ab altero decus, ab altero vires creſcent Reipublicæ. An præterea nobis imponere vultis, ut vobiſcum eadem ſentiamus? liberum utique pro ſenſu & conſcientia noſtra, quæ-

que è Republica credimus proferre, liberum item & vobis. Si alterutri Ordini ſententia alterius diſpliceat, ratione, ſuaſu, non pertinaciâ, ac tumultuaria acclamatione votorum concordia parabitur. Credite mihi, ſi aliquando fuit, nunc certè concordiâ opus eſt, quo Regem otius habeamus: En quanta nuper Tartarus, nobis diſcordantibus, damna intulit Reipublicę? Exemplum reliqui ſequentur hoſtes, ni ab interioribus diſſidiis ad externa mala vertamus ſocios animos. Reſponſum ad ea breviter:

Ni Fata melius portendant, malle ſe utique per interregnum hoſtem & pericula ferre, quàm Auſtriaci & Germanorum Imperium acceptare; hoſtium damna poſſe reſarciri, graviter imperantis Principis nunquam, doceri ſe malis Ungarorum & Bohemorum, qui Auſtriacæ domui implicati, hæreditas unius domus facti; ſat fuiſſe de Auſtriacis præterita electione diſceptatum, ob eas cauſas, nequaquam ſe velle ab Auſtria Principem; multa ratione æquius eſſe è Poloniæ incolis Regem eligi.

Dato

Dato reſponſo itum per ſententias, cui incolarum Regnum tradi deberet. Ad duos declinabant potiſſimum ſententiæ. Joannem Koſtka, Palatinum Sendomirienſem & Andream Tæchynium Palatinum Belzenſem. Ægrè ea accepit Senatus, cum alii generis ſplendore, in rebus agendis dexteritate, cuique amborum ſe eſſe pares palam profiterentur; hi magis (quod verius eſt,) ſibi præferri alios invidebant, quàm quod Electio ſe prętteriſſet; reliqui item locum in Senatu ſuperiorem, antiquatam Reipublicæ tractandæ peritiam, opes item majores, fulcra dignitatis allegabant; ac ſi inter incolas Rex quæri deberet, ſe proximores Regno, quàm alios. Tunc apparuit, quanto periculo Reipublicę, vocandus ad ſceptra incola, æmulationem multorum inter; Fuere item, qui poſthabitis privatis ſtudiis, ratione Reipublicæ quærerentur: Periculum imminere, (dictitantes,) ſi in paritate Civium unica ſuſpiceretur regnatrix domus, ſuſpicioſa authoritate ultra cæteras eminens; itemque alias cauſas ediſſerebant, quas Henrici electio copioſè aperuerat. Joannes

nes verò Koſtka & Andreas Tenczinius, qui vocabantur ad regnum, modeſtiſſimè tulere quærulantium voces, imò modeſtè ipſam, quę offerebatur, regnandi fortunam. Gratias habere ſe (inquiebant) Equitibus, apud quos eo in pretio virtus ſua haberetur: Cæterum nolle ea electione Rempublicam periclitari, tutius quæri in externo ſolo principem, quàm domi cum tamultu & invidia eligi, donare ſe privatam fortunam & ambitum Reipublicę ſaluti, ſufficere ſibi honores, cum forent ſenatores ac Regum electores. Magni profectò viri, vel ideo regno digni, quod in ea fortuna modeſtius agerent.

Sed tamen aliquid certè eſt, cur Polonia in peregrina gente Reges quæritat, in ſuos cives tanti honoris parca. Neque cauſam reperio, præterquam ſub Henrici electione recitâſſe me memini, contra incolam Regem, & verè probaverim.

* Non me convincet Piaſtus incola Princeps, alia tum fuere tempora, alia Reſpublica, imò alię leges & libertas, ac ut in corpore humano ſecundum menſes & annos variari humo-

* *Anno Chriſti* 880.

humorum temperamenta;ſic in compage Reipublicę rationes, diverſiſque illa remediis, hanc conſiliis curari oportere. Duo ego maxima mala ab incola Rege certus expecto, (unde proſpicio Monarchiæ ſemina ac planè ipſam) regnatricis familiæ ambitum in præjudicium æqualitatis, tum portentoſam unius domus potentiam, eligendi libertati iniquam ſi hi obices tollantur, pleno oſtio Regem incolam admitto. at quomodo tollantur? ſuggeram pro conſcientia, quod ſentio, idque partim ex vi legum Reipublicę, partim à veritate fortioris rationis. Antiquis inſtitutis Reges nobis ſunt, ſummi honorum & munerum arbitri: Prævidit ergo Reſpublica, ne honores utriuſque ſtatus tum beneficia agrorum in Regiam prolem, præterquam ab authoritate Reipublicę, diſtribuantur. Ne ſi fæcundior regnantis thori accidat genitura, & opimi quique cenſus publici regum natis aſſerventur, tantis impinguati proventibus, potentiam quærant intra Rempublicam, qua commodiſſima ambitioſo ſternitur ad purpuram via. Verùm adeſt alter metus excreturæ in regia civi-

civili domo formidabilis potentię, si liceat Regi bona civium trahere in hæreditatem domus. Ea enim qua valent Reges opulentia, emptis in possessionem opportunioribus instaurandæ potentiæ castris, quod Electionis via modo quæritant, imperium emptione haberent hæreditarium. Idque suspicabatur Respublica, cum Constantia Regina, posterior conjunx Sigismundi Tertii Regis, Comitatum Zivecensem ad fines Silesiæ & Hungariæ situm DC millibus florenorum nostratium à Joanne Comorovio emerat: Cavit enim in posterum; Ne esset potestatis regiæ domus, quærere intra regnum hæreditatis terras: * Incolæ item regnanti sufficeret Fortuna tanti regni, ne privatos agros super hæc ambiret periculo in publicum privatę potentię. Si item successor sceptri ex eodem stemmate nunquam eligeretur, ut novorum semper nominum & sanguinis quæreretur Rex, quo abiret inter plures familias regalis honos, ad extinguendum unius domus ambitum præclusa succedendi spe; Tum, si Regum nati non uterentur Principum titulo, avitę domus stemmate & nomi-

* *Constitutio Comitiorum Anni Christi* 1631.

minibus contenti, quo redigerentur in ordinem, & condiscerent æqualitati; aliquo modo Regem incolam admitterent. Sed quo modo cavebitur, ne per interregna Respublica fundatur circa ambitum incolarum & collisiones potentum, penes potestatem primatis & potentiam belli ducum & Optimatum numerosas ac plerumque armatas clientelas? qui mihi nodus gordius est. neque sum in eo Alexander, cæteri sunto & me doceant; tum incolam quandoque Regem subscribo futurum. Certè ego cum pro natura Reipublicę loquor, saltim coram extraneo Lectore mira scripsisse mihi videor, ac fatear illud necesse est. Nam in tam admiranda Reipublicæ compage, (magno arcano simili,) quam fata dignis libertati populis insinuavere, sæcula texerunt, Deus firmavit, loqui aliter vix possum. Deus Deus omninò tanti arcani author est, & servat velut nolo, cujus causas promere ex mea sententia suum cum aliud habeam scribendi institutum.

Nec tamen patiar, quin arguam nonnullorum vocis & scripti temeritatem, cum injuriosè de hac Republica ferunt sententiam, & arguunt

guunt ſtatus ordinem, aut planè imputant diſordinem, Monarchiæ ſimulacrum in Republica exædificantes, Galliam, Hiſpaniam, Italiam media quærentes in Polonia. Quid autem diſordinatum diu ſtare poteſt? aut quæ Reſpublica extra ſuum ordinem acta, non intra annos concidit? hæc verò tot ſæculis non ſtat modò, ſed capit incrementa. Aut ſi qui vexant nos caſuum tales, oportet his admoneri, uti nos, ita Rempublicam quandoque eſſe mortalem, nullam æternam ſtetiſſe, & ſanè, cum Deo placuerit, caſuram, ſed utinam ſerò placeat. Reipublicæ ergo motibus commonemur in melius virtutis noſtrę, ac in excubias libertatis excitamur, ne profunda felicitate, in quietem ac ſomnum acti, obtorpeamus & periculoſa quandoque peccemus fiducia. Quemque militem fortem bello reddi & cautum, dum hoſtis in proximo, item civem patrię admoneri caſuum Reipublicę, dum metus adeſt. Scio aliquem Romanum civem peregrini amoris in ſuam patriam notatum, quod etiam à bono amore optaverit, quandoque illam urbem flammis purgari, ut collabentibus

tibus

tibus ac vetuſtis edificiis, nova poſthac ſuperinduceretur architectura. Arguar & ego, nec tamen tacebo ut fatear, fuiſſe in quaque Republica, ac in hac noſtra eſſe quoſdam errores, quos, (niſi uramur,) non corrigimus. Sed quantum ab Hiſtoria receſſi. Redeo itaque.

Certus ſum, eo in conventu non omninò pro utilitate Reipublicæ quæſitum fuiſſe Principem inter incolas, ſed potius, ut novum & ingratum ſenatoriæ æmulationi ſtudium Equeſter ordo opponeret. Veluti poſtea petiere Equites, quem vellet Senatus, ab externis Principibus eligeret, modo non ab Auſtria, ſe pedibus manibuſque ituros in ſententiam: nil tamen valuere ea apud Senatum. Deum ergo & Rempublicam palàm teſtati Equites, à concordia Ordinum unam ſe Reipublicę petiiſſe ſalutem, ſed quoniam Senatu diſſentiente, periculum Reipublicę ſtatueretur, cogi ſe in partibus, ut ſibi Reique publicę providerent. Tum Archiepiſcopus Primas ſuſpicatus, Equites in parte novum quæſituros Principem, præoccupandos ratus,

Oo petiit

petiit suo in collegio sententias: & quia in Maximilianum Imperatorem Romanorum inclinabant, nominavit eum Regem Polonię; publicatio in vulgus in crastinam rejecta lucem. Reperti tamen non pauci Senatorum, qui egressi è circulo cum querela, tutius esse domos sine rege abire, quàm discordante Republica paucorum studiis intrudi populorum rectorem. Sequenti nihilominus die studio Archiepiscopi Maximilianus Imperator Romanorum in Regem Polonorum voce Archimarschalci denunciatus. Interim Equites ac purpurati, qui deseruerant Senatum, quę per Primatem insolentiùs agebantur, minus curavere, armis etiam pro rei æquitate decertaturi. Properavere suo in circulo sententias; Annamque Principem, sororem Sigismundi Augusti, posthumam domus Jagellonicæ in Reginam; in maritum & simul Regem, Stephanum Bathoreum, Transylvanię Principem, elegerunt. Porrectę exinde Legatis conditiones, quæ in Archivo eum in modum visuntur.

Inprimis cum inclitæ Jagellonicæ Familiæ, (quæ hic diu & felicissime regnavit,) tot extent erga Rempublicam merita, Ordines regni id maximè curant, ut suorum Regum posteritati cum summa dignitate prospiciatur. Itaque communi decreto ante omnia postulant, ut illustrissimus Transylvaniæ Palatinus Serenissimam Reginulam in matrimonium ducat; si verò contigerit, (quod Deus auferat,) Serenissimam Reginulam, vel fatis concedere, vel ab hoc matrimonio omnino se alienam præbere, nihilominus dignitas Regia suæ Celsitudini Stephano Bathoreo salva sit.

Alterum est, ut omnia jura & immunitates à serenissimis Polonorum Regibus regno legitimè oblatas, juramento confirmet. Si quid præterea circa Coronationem Ordines regni ad augendas libertates postulaverint, publico privilegio approbabit.

Ad repentina regni præsidia tribus millibus equitum stipendia Legati quamprimum expediant.

Auxilia in regnum non adducet præterquam cum Senatus & Ordinum consensu.

Stipendiarium militem extra regnum insciis Ordinibus non emittet. Cum Ordines Regni pro die XVIII *Januarii Andræjoviæ Conventum generalem indixerint, curabit, ut in eo Conventu has omnes conditiones, tam sibi ab Ordinibus propositas, quàm nobis suo nomine à Legatis obla-*

oblatas, publico juramento, vel in persona, vel per suos legitimos Legatos, confirmet.

His supradictis conditionibus utrinque oblatis, ipsi Legati, nomine sui Principis, subscribant, & sigillis muniant, & jurent.

Delatus rumor ad Senatum, Annam Principem in Reginam, Stephanum Bathoreum in maritum & Regem, ab Equitibus eligi. Demisere illi vel ad Annę Principis nomen animos, quoniam erat sub tutela Reipublicę, nec melius à tutrice Republica provideri visum, quàm si in reginam eligeretur. Speciosa & è Republica ea electio Senatui visa, intus pudibundi, palam tamen confundi non fatebantur, imò quo magis imponerent, pro Imperatore fortitèr sententiis pugnabant, sed validiùs pro Stephano Equites, quia stetere penes arma. Indixere sibi armatum conventum Andræjovię, pro die VXIII Januarii sequentis anni, quod pro jure Stephani & contra ambitum Maximiliani opportunum crediderant. Andræjovia est oppidum in Palatinatu Cracoviensi situm. placuit inibi conventum indici, quod Principem Palatinatum occupare, ac prope

prope Cracoviam sedem Regum convenire, tutum erat. Sed illud vel maximè prævaluit, quod non longè à finibus Hungarię, qua adventus Stephani è Transylvania sperabatur, & propè Silesiam, qua Maximilianus ad regnum iturus erat, arma erant in terrorem ostentanda; huic alteri in tutelam. Missę interim in publicum utriusque partis querellæ, partim Senatorum in Equites & contra Stephanum, partim Equitum in Senatum & Maximilianum contra, cum obtestatione per salutem Reipublicę, per caram eligendi libertatem, quibus hæc grata forent, suas partes sequerentur. Scripsit insuper pars electoria Stephani ad Maximilianum Imperatorem literas. Quid sibi velint, aut quantum ad rem conferant, legenti monstrabunt.

Sacra Cæsarea Majestas. Observantiam nostram fidelem & amicam ad Majestatem vestram deferimus Senatores & Equites Regni Poloniæ.

In hac Reipublicæ nostræ orbitate, cum creandi Regis causa comitia à nobis hoc tempore haberentur, Senatus pars & universa ferè nobilitas regem ex genere nostro & sanguine creandum censuit. Fuere etiam

pauci è nobilitate & Senatores quidam, qui Majestatem vestram ad hoc onus suscipiendum advocandam putabant. Quod eorum consilium Ordines respuebant, non eam ob causam, quod illis non sit optimè persuasum de pietate & sapientia ac summa justitia vestræ Cæsareæ Majestatis, sed efficiebat id insitus hominibus à natura ergà genus & nationem suam amor, eo quod eum expeditiorem ad regni administrationem ob communem linguam cognitionemque rerum ac legum putabant, qui in Patria natus; tum etiam quod Turcarum arma experiri & omnem belli molem in Patriam suam converti nolebant, qua de re cum à nobis deliberaretur, Archiepiscopus Gnesnensis, de loco, in quo commune consilium habebatur, secessit cum quibusdam, qui cum eo sentiebant; Et cum ex suo consilio ad nos quosdam misisset, priusquam à nobis internuncii secessissent, non modo non consentiente, verùm inscia omni propè nobilitate & magna parte Senatus, Majestatem vestram Regem Poloniæ appellavit, contra leges nostras, quibus, (ne aliquis nisi omnibus consentientibus Rex nominetur,) cautum est. Quod illius factum ut homines liberos decebat tulimus, & ne hoc exemplo inposterum pauci invitâ Republicâ, regis creandi eriperent nobilitati libertatem, aliò studia nostra convertenda putavimus.

Itaque

Itaque pro nostra erga domum Jagellonicam libertate, serenissimam Annam Principem Poloniæ Reginam appellavimus, ea conditione, ut illustrissimo Palatino Transylvaniæ nubat. Quem cum hâc conditione matrimonii, Regem nostrum creavimus. Scimus Majestatem vestram, pro summa sua prudentia, omnem suam dignitatem omnesque fortunas in tranquillitate Reipublicæ Christianæ collocare; Itaque credimus, Majestatem vestram hæc paucorum suffragia non tanti facturam, ut his freta, non modò regnum nostrum, verum etiam totam Christianitatem in extremum discrimen velit conjicere. Etenim nobis constitutum est, ita libertatem juraque nostra tueri, ut incendium, si quod hæc pauca suffragia quorumdam civium nostrorum excitarent, non solum ruinâ regni nostri extingui possit, verùm etiam reliquorum regnorum Christianitatis interitus subsequeretur. Verum de moderato animo Majestatis Vestræ ita persuasi sumus, ut rem Christianitatis eo non deducturam confidamus. Datæ Varsaviæ sub sigillis & nominibus Palatinorum Cracoviensis, Lublinensis, Belzensis & Marschalci Equestris Ordinis ad hunc actum electionis creati.

Sequitur Responsum Imperatoris.

Reddidit nobis is, quem huc ablegastis literas vestras die

die XV præsentis mensis datas, ex quibus intelleximus, quid in Comitiis Varsaviensibus proximè habitis actum sit, & quarum rationum ductu nostræ electioni hactenus non consensistis. Vobis autem persuasum cupimus, nos ab eo tempore, quo primùm ad inclitum istud regnum Poloniæ animum adjecimus, studuisse, ut illud non aliqua privata regnandi libidine, sed publici boni studio per legitima & ordinaria media oblatum haberemus. Cum igitur Dei Optimi Maximi (in cujus manu est regna distribuere,) providentia factum sit, ut præter vos ac alios paucos Senatores, (quos unà cum aliqua nobilitatis Polonæ parte suæ rationes in diversa traxerunt,) non modò universus Senatus, cum magno Nobilium Polonorum numero, verùm etiam qui isthic adfuere Lithvani & Pruteni, omnes maturo consilio atque haud dubio non sine gravißimis causis, nos cæteris competitoribus præferendos judicaverunt, atque ab eisdem in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithvaniæ unanimiter electi, & per eos (ad quorum officium res ea pertinet,) nominati, denique etiam more solenni proclamati sumus; Nobis sane polliciti sumus, vos ac cæteros, qui ab hac electione dissensere, re huc deductâ, Divinæ voluntati cessuros esse. Nam cum ita nobis conscii essemus, nos Domini Genitoris nostri colendißimi, Imperatoris Ferdinandi

dinandi Augustæ memoriæ, vestigiis insistentes, nil magis huc usque carius habuisse, nihilque magis studuisse, quàm cum publicè cum inclito isto regno bonam amicitiam atque vicinitatem colere, tum privatis etiam singulis civibus erga ipsos benevolum animum & propensionem quavis occasione declarare. Nullam ideo causam fore arbitramur, cur nostræ electioni vos opponere pergeritis, quemadmodum nec ea, quæ à vobis adducuntur, talia esse existimamus, quod non omnes (nempe) nobiles suum consensum pariter præbuerunt, cum in superiorum quoque Regum electionibus, ut nonnulli dissenserint, non rarò constet. Quæ cum ita sint, vos etiam benignè hortamur, ut negotio hoc pro ejus Magnitudine rectius perpenso, alia saniora amplecti consilia, ac electioni in personam nostram legitime factæ, ac personali publicatione confirmatæ acquiescere velitis. Nobis sic omninò persuasum habentes, non minori hanc nostram, quàm cujusquam alteruis electionem, Patriæ vestræ vobisque ipsis commodo, honori & ornamento; Reipublicæ verò Christianæ maximè, salutarem fore. Nam quæ ex Poloniæ cum Regnis & provinciis eidem vicinis convinctione, quæ ex sacri Imperii, tum serenißimi Hispaniarum Regis Catholici, Patruelis, fratris & generi nostri Christianißimi, totiusque inclitæ domus nostræ Austriacæ, ac

ac uti speramus, Moschorum quoque Principis societate, expectanda sint commoda, supervacaneum foret hoc loci commemorare, cum nec illa vobis obscura esse queant. Tantum verò abest, ut nobis propositum sit, vel Senatus vel Nobilitatis aliorumve Ordinum Privilegia & libertates ullo pacto infringere & labefactare, ut illa non modò à nobis sarta tectaque conserventur, verùm etiam, si ex usu Reipublicæ videatur, augeantur. Eorum verò, quæ hactenus ad impediendam electionem nostram, à vobis vel aliis acta sunt, aut ullam posthac apud nos fore memoriam, vobis certò polliceri possitis. neque enim nos minus, quàm si nihil tale evenisset, benignos & ad commoda dignitatemque vestram, quavis occasione, juvandam propensos experturi estis. Quapropter vos salutaribus monitis nostris locum daturos confidimus; erit hoc cum in Patriam ac Rempublicam Christianam (cujus meritò habenda est ratio,) amore & pietate dignum, tum ad pacem tranquillitatemque publicam retinendam maximè opportunum. Sin verò, (quod absit) in vestro proposito consistere vobis constitutum maneat, utique ipsimet haud difficulter existimabitis, quod cum eo (quo diximus) modo in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithvaniæ electi, nominati ac in publica Senatorum ac nobilium corona proclamati sumus, adeoque hujus rei fama jam passim

sim per universum ferè Orbem percrebuit, nos non ita facile hoc nostrum quæsitum jus alteri cessuros, vel ut nobis eripiatur, passuros esse. quid autem inde secuturum sit, vobis judicandum relinquimus. Interim benignè hortamur, ut majorem Patriæ vestræ ac Christianitatis rationem habere velitis, quàm ut eandem tot periculis ac calamitatibus, quæ alioquin imminere videntur, vos ultro ac sine causa involvisse dici possit. Et quia memoratæ literæ vestræ, inter alia Turcarum quoque Principis mentionem faciunt, idcirco vos latere noluimus, nobis ante paucos dies ab eodem Principe, solennem pacis (ab eo tempore, quo priores octennales induciæ expiraturæ sunt, nimirum à proximis calendis Januarii,) in alios VIII *annos prorogatæ confirmationem allatam esse, ut ne hoc loci sit, quod vos, quominus in nostram electionem condescendatis, terrere debeat. Quod reliquum, vobis benevolentiæ nostræ studia deferimus, ac benè valere cupimus. Datæ in Civitate nostra Vienna, die* XXIV *Decembris Anno* MDLXXV.

Superba ea responsio Imperatoris visa, non his modo, qui partes Stephani tuebantur, verùm qui pro Maximiliano vota tulere, ut sensim in partem Stephani transirent. Sed pertinacior Archiepiscopus, ac nonnulli Cæsaria-

rianarum partium, exprobrabant his inconſtantiam, cum ſecum nuper eadem ſenſiſſent, jam raptarentur in diverſa. Hæc partim per ſecretiora colloquia & delatores, partim per literas inſinuabant. Reſpondebant hi item; Non ſibi ineſſe inconſtantiam, ſed amorem Patrię, alios navarchorum rectà ad portum deducere navem, alios per erroneas vias & longos maris circuitus, cum utriſque idem portus pro meta ſit & ſcopo, alios ſecundi pellunt venti, alios licet artis nauticę gnaros adverſi & varii in varia rapiunt, ſe item alia ſentientes non inconſtantia, ſed erronea ſententiarum abripuerat opinio & vis, cum æquè unicam votis Reipublicę ſalutem quæſiviſſent, ac ii qui non longùm deliberantes tutiſsima arripuere conſilia, prudentis verò errores corrigere, & benè agi cum Republica, ubi, cum erratum fuerit, datur tempus corrigendi, nec illicò itur in præceps cum errore. Quid ni jam Reſpublica ruinam propè erat, cum Auſtriacus in Regem eligebatur? eoque magis fugiendus Princeps, quia potens & peregrinis viribus domeſticę libertati horrendus. Polo-

niam

niam verò quæritare non dites, ſed bonos rectores, à bonis ſalutem receptura, à potentibus periculum. Non Imperatorem, non Ducem aut Principem, ſed quicunque mortalium optimus crederetur, capiendum eſſe rectorem Reipublicæ, ſat ornamenti daturæ ei, quem reciperet Regem; an ergo pro Imperatore ultra ſentirent? qui necdum omnium voto Rex creatus aut approbatus, Genti, quę libera ſemper fuit & humanitate Regum frui didicit, imperioſos ſenſus ac ſuperbos literis inſinuaret, & vix paucorum ſententiis tactus deberi ſibi regnum crederet. Dari imo occaſionem liberè eligentibus Polonis, poſſe tanti Principis non moveri reſpectu, ſed ſola deligendi libertate & ratione, nec minas curare, dum tenerent arma. Imò titulus literarum non pro dignitate Ordinum dari viſus; Reverendiſſimos ac Illuſtriſſimos Ordines à Regibus, ſibi Dominis, appellari: Ab externo Principe ſereniſſimorum Ordinum titulum requiri; tum præſertim, cum mortuo Rege, Senatus & Equites Majeſtatem tantę Reipublicę ſua ferrent in perſona.

 An-

Annus Christi MDLXXVI.

HÆc & aliæ fuere rationes ab Imperatore descifcentium. Magnus subinde numerus armatæ Nobilitatis Senatorumve Andræjoviam confluxit. Publicè plerique fassi Maximilianæ Electionis errorem, itumque facilius in inaugurationem Stephani Bathorei, quæ partim per Legatos, partim per literas in provincias publicata, quę nomen Polonum colunt & capiunt imperium. Ad recipiendum adventantem Regem à Transylvania, dicti præcipui è Senatu, item ex Equestri ordine, tum alii, quibus imperatum, Annam Principem Cracoviam sequi. Quantum ad limitum securitatem oportuit, motio communis bellica indicta. Quo vero citiùs evocari possent, quique Palatinatus, Provinciales delegatos ad latus belli Ductorum tenuêre, qui incolas monerent de periculis. Sed Nobilitas ad bella evocata nullius imperio, quàm Regis subesse debet, tum verò quia Rex deerat. Dicti communi omnium assensu, tam generali Expeditioni, quàm noviter lectis cohortibus Duces, Sta-

Stanislaus Gorka & Stanislaus Cikivius, Succamerarius Cracoviensis, quanquam non deerat Dux militum ordinarius, sed quo dividerentur arma, & authoritas unius nimia æqualitate inimica, cum præsertim purpura in ambiguo: Veteranus tamen miles Duci ordinario parere jussus, ac Podoliam sub præsidio tenere.

Quis credidisset Poloniam tantis ab intra motibus conflictatam libertatem hujus retinere potuisse quam nunc tenet? Bis enim certè in sui ibat ipsa spontè perniciem, vel cum incolam Regem (sine certo modo & lege imperandi) quæreret, vel cum Austriacum optaret. Aliis jam nunc (sed pressis) viveremus sub libertatibus, si uter horum imperaret. Dei potentis omninò opus illud, ac Matris ejus sanctissimę, Polonorum Patronę, non potuisse salvam fieri Rempublicam, nisi discordem ac planè insanientem: æquè Reipublicę salutare fuit, Equestrem Ordinem secessisse à Senatu, ac Senatum Equestris Ordinis priora decreta improbâsse, cum pariter Austriacus ac incola Princeps, cum periculo Polonorum, re-

regnaturus erat. Discordatum ergo omnium bono, propitiis fatis in Stephanum Bathoreum, bonum Principem, sceptrum Polonum trahentibus. Non aliter post diutina interregnorum mala, concussam Rempublicam quiescere oportuit, quàm sub Rectore bono.

Donec totum legeris, sustine tantisper calculum,
Post libet;
Nigrum, albumve dederis? Ego feci, quod potui,

ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO
à Pleszevice.

Hist. Polon
a. gener